MASTER NEGATIVE NO. 93-81292-12

AUTHOR:

SCHMIDT, EMIL
HERMANN

TITLE:

DE POETICO SERMONIS
ARGENTEAE...

PLACE:

GLOGOVIENSIS

DATE:

1909

Master Negative #

93-81292-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

877.5
Z8
v.1 Schmidt, Emil, 1885-
De poetico sermonis argenteae latinitatis colore capita duo; dissertatio ... quam ... scripsit Aemilius Schmidt ... Typis Societatis typographicae Glogoviensis, 1909.
iii, 82 p.

Thesis, Breslau.

Volume of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/15/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

no. 3

De poetico sermonis argenteae latinitatis colore

capita duo

Dissertatio inauguralis philologica

quam amplissimi philosophorum Vratislaviensium ordinis

consensu et auctoritate

ad summos in philosophia honores

rite capessendos

scripsit

Aemilius Schmidt

Waldeccensis

Die II mensis Augusti anni MCMIX hora XI
in Aula musica disseret doctorandus

„De similitudine quae inter scaenas quasdam
Plautinas et Terentianas intercedit“

Deinde erit promotio

Typis
societatis typographicae Glogoviensis
MCMIX

De dissertatione probanda ad ordinem
philosophorum rettulit **Fr. Skutsch**

Examen rigorosum superatum est a. d. V. Non. Mart.
anni MCMIX

Francisco Skutsch
sacrum

Index

eorum, quibus hac in disputatione conficienda usus sum, librorum.

Neue, Formenlehre der lat. Sprache I—IV, Leipz. 1903—1905.
Draeger, Histor. Syntax der lat. Sprache, Leipz. 1881.
Kühner, Ausführliche Grammatik der lat. Sprache, Hannover 1877—79.
Naegelsbach, Lat. Stilistik für Deutsche, Nürnberg W 1905[9].
Brenous, Études sur les hellénismes dans la syntaxe latine, 1895.
Delbrück, Vergleichende Syntax I 146 sqq.
Tobler, Über den Begriff und bes. Bedeutung des Plurals bei Subst., Ztschrft. f. Völkerpsych. u. Sprachwiss. XIV 410—434.
Koene, Über die Sprache der röm. Epiker, Münster 1840.
Jacob, de usu numeri plur. apud poet. Lat., prgr. scholae prov. Portensis Numburgi 1841.
Spitta, Quaestiones Vergilianae, Sondershausen 1867.
Hultgren, Die Technik der röm. Dichter im ep. u. eleg. Versmass, N. Jahrb. f. Phil. 107, p. 759 sqq.
Overholthaus, Syntaxis Catulliana, Gött. 1875.
Seyss, Über den Plural der Substantiva abstr. in Vergils Aeneis, Iglau 1882.
Appel, de genere neutro intereunte in lingua lat., Erlang. 1883.
Meyer, Die Schicksale des latein. Neutrums, Halle 1883.
Keller, Grammat. Aufsätze, Leipz. 1895, 189 sqq.
Hailer, Beiträge zur Erklärung des poet. Plurals bei den röm. Elegikern, Freising 1902.
Wölfflin, Hexameter u. silberne Prosa, ALG XI, 513.
Maas, Studien zum poet. Plural bei den Römern, ALG XII 479 sqq.
Norden, comm. Vergil., 1903.
Landgraf, Bemerkungen zum sogenannten poet. Plural in der lat. Prosa, ALG XIV 63 sqq.
Bednara, de sermone dactylicorum Lat. quaestiones, cap. IV, ALG XIV, 532 sqq.
Slotty, de Numeri pluralis usu Catulliano, diss. phil. Jen. 1905.

Ed. Volp, de usu numeri plur. Aeschyleo et Sophocleo, Marp. 1868.
Ew. Bruhn, Sophocles, vol. VIII, Berl. 1899. p. 2–4. 157.
Witte, Singular u. Plural, Leipz. 1908.

Lupus, Der Sprachgebrauch des Cornelius Nepos, Berlin 1876.
Lebreton, Études sur la langue et la grammaire de Cicéron, Paris 1901.
Laurand, Études sur le style des discours de Cicéron, Paris 1907.
Kühnast, Hauptpunkte der livian. Syntax, Berlin 1871.
Riemann, Études sur la langue et la grammaire de Tite-Live, Paris 1879.
Georges, Heinr., de elocutione M. Velleii Paterculi, Lips. 1877.
Felix, Hans, quaestiones grammaticae in Velleium Paterc., Halle 1886.
Fritsch, Über den Sprachgebrauch des Velleius Paterculus, Arnstadt 1876.
Lange, Otto, Zum Sprachgebrauch des Vell. Paterculus, Putbus 1878.
Blaum, Rud., quaestionum Valerianarum specimen, Strassburg 1876.
Schnetz, J., Neue Untersuchungen zu Valerius Maximus, Progr. d. Gymn. zu Münnerstadt für 1903/04.
Sander, Max, Zum Sprachgebrauch des Rhetor Seneca I, Waren 1877.
Ahlheim, Aug., de Senecae rhet. usu dicendi quaestiones selectae, Darmstadt 1886.
Böhmer, de L. Annaei Senecae latinitate, Öls 1840.
Opitz, de latinitate Senecae, Naumburg a. S. 1871.
Rauschning, Otto, de latin. L. Annaei Sen. phil., Regim. 1876.
Hoppe, A., Über die Sprache des Philos. Seneca, I Lauban 1873; II Lauban 1877.
Mueck, Herm., observationes criticae et grammaticae in L. Annaei Sen. phil. scripta philos., Marp. 1890.
Segebade-Lommatzsch, Lexicon Petronianum.
Nipp. = Nipperdey-Andresen, Cornelius Tacitus ab excessu divi Augusti, Berl. 1880.
Draeg. Ann. = Draeger, Die Annalen des Tacitus, Leipz. 1868.
Her. = Heraeus, Corn. Tac. historiarum libri qui supersunt, I[5] 1904. II[4] 1899.
Draeg. Agr. = Draeger, Das Leben des Agr. von Tac., 1873.
Gudeman Agr. = Alfr. Gudemann, P. Corn. Tac. de vita et mor. Cn. Jul. Agric. liber, Berol. 1902.
Roth = Carol. Lud. Roth, C. Corn. Tac. de vita et mor. Cn. Jul. Agric. libellus, 1833.
Schweizer-Sidler, Corn. Taciti Germania, Halle 1890.[5]
Andresen, Corn. Tac., dialogus de oratoribus, Lips. 1891[3].
Gudeman, P. Corn. Taciti dial. de orat., Boston 1894.
John, Const., P. Corn. Taciti dial. de orat., Berl. 1899.
Lex. Tac. = Gerber-Greef, Lexicon Taciteum.
Draeg. Synt. = Draeger, Über Syntax und Stil des Tacitus[3].
Sirker, C., Taciteische Formenlehre, Coblenz 1870.
Goebel, C., de poetico Tacitei stili colore, Berol. 1859.
Panhoff, Th., de neutrius gen. adiectivorum substantivo usu apud Tacitum, Halis 1883.
Schmaus, H., Tacitus ein Nachahmer Vergils, Erlangen 1887.
Czyczkiewicz, Andr., De Tacitei sermonis proprietatibus praecipue quae ad poetarum dicendi genus pertineant, Brody 1890.

Th. l. l. = Thesaurus linguae latinae.
Koch-Georges, Vollständiges Wörterbuch zu den Gedichten des Verg. Maro.
Merguet, Lex. Caesar.
Menge-Preuss, Lex. zu Caesar.
Merguet, Lex. zu d. Reden des Cicero.
„ Lex. zu d. philos. Schriften des Cicero.
Fuegner, Lex. Livian.

Siglo pps Maasium et Bednaram secutus significabo pluralem poeticum.

In scriptoribus citandis usus sum his editionibus:

Enn.	ed.	Vahlen.[2]
Lucil.	„	Marx.
Lucr.	„	Lachmann.
Plaut.	„	Lindsay.
Terent.	„	Dziatzko.
Catull.	„	Schwabe.
Vergil.	„	Ribbeck[2] 1898.
Tibull.	„	Hiller 1885.
Propert.	„	Mueller.
Horat.	„	Wickham.
Ovid.	„	Merkel 1884. 88. Ehwald 1903.
Cat. agr.	„	Keil 1895.
Caes.	„	Kuebler.
Cic.	„	Mueller.
Liv.	„	Weissenborn 1862—1870.
Vell. Pat.	„	Halm 1872.
Val. Max.	„	Kempf 1888.
Sen. rhet.	„	J. H. Mueller 1888.
Sen. phil. de ben., de clem.	„	Hosius 1905.
ep. moral.	„	Hense 1898.
apocol.	„	Buecheler 1904.
Petron.	„	Buecheler 1904.
Plin. n. h.	„	Jan-Mayhoff.
Tacit.	„	J. Mueller 1884. 87.

Taciti scripta his siglis distinxi (lex. Tac. secutus):

A = Agricola
G = Germania
D = dialogus de oratoribus
I—V = Historiae
1—6, 11—16 = Annales.

Poeticam dictionem ad conformandam prosam orationem scriptorum Romanorum argenteae quae dicitur latinitatis permultum valuisse inter omnes constat. Tamen grandem disputationum silvam percensens vix unum, puto, librum invenias, quo, quomodo unus saltem e rerum scriptoribus poetas imitatus sit, quaestio soluta esse videatur. Atque ut exemplo utar, perpauca de plurali qui dicitur poetico a scriptoribus adhibito in disputationibus illis invenias. Itaque cum nostra aetate viri docti diligentissime de plurali poetico disputaverint atque veram huius pluralis vim constituerint eorumque interpretationes, qui hoc numero dignitatem vel magnitudinem intellegi volunt, reppulerint, operae pretium mihi videtur esse inquirere, quomodo nonulli scriptores argenteae latinitatis — dico Velleium Paterculum, Valerium Maximum, L. Annaeum Senecam rhetorem, Senecam philosophum, Petronium, Tacitum — hoc plurali poetico usi sint.

Atque quoniam cum Maasio, cum Bednara, cum Slottyo tantum eis locis pluralem poeticum agnoscendum esse credo, quibus in prosa oratione a poesi nondum infecta solus singularis poni poterat, hac in disputatione omnia ea exempla omisi, quae pluralem nobis quamvis molestum vixque ferendum summo iure praebent, quia omnibus illis locis de actione repetita vel de actione complurium hominum agitur, quibus locis et prosa oratio aureae quae dicitur latinitatis pluralem admisit.

Recte autem iam Landgrafius omnes eos, qui de hac re disputaturi essent, admonuit, ut eos solos plurales intellegerent poeticos, quos imitatione poetae alicuius ortos esse locis e poetarum scriptis allatis tueri possent.

Tamen nonnullos plurales apud scriptores illos inveni, quos quamquam poetica cum licentia positos esse nemo negabit, tamen a nullo poeta eo sensu (i. e. pro singulari) adhibiti sunt, nimirum, ut nonnulla exempla afferam, illud „tăbernăcŭlă", „ĕpistŭlae" alia. Neque mirum est nullum poetam illos plurales usurpavisse, quoniam multis locis poetae eam solam ob causam pluralem poeticum pro singulari exhibuerunt, quia pluralis ad versum componendum multo aptior erat quam singularis, his in exemplis autem pluralis aut multo magis aut certe eodem modo a metro dactylico vel iambico abhorret ac singularis in oratione soluta usitatus; quam ob rem poetae multis locis singularem posuerunt, quibus prosa oratio pluralem adhibuisset.[1]) Tamen omnes eiusmodi plurales a metro abhorrentes poetica cum licentia adhibitos esse affirmare non dubito, quia eos plurales scriptores poetarum vestigiis insistentes procreasse mihi quidem persuasi.

Tum eis quoque locis poeticam dictionem scriptores imitatos esse concedas, quibus prosa oratio aut substantivum cum adiectivo coniunctum eodemque in casu positum adhibuisset aut voce aliqua velut *pars* etc. addita ea verba circumisset, illi autem scriptores ab adiectivo generis neutrius genetivum substantivi suspendunt velut *angusta viarum* pro „viae angustae", alia. Quam verborum consecutionem, quae metro dactylico aptissima erat,[2]) poetae dactylici Graecorum vestigia secuti[3]) novaverunt.

Itaque duabus partibus disputationem nostram contineri vides, quarum in priore de usu pluralis poetici, in altera autem de neutro illo genere adiectivorum mihi dicendum erit. Inter illas duas partes quasi primae partis appendicem nonnullos plurales congessi, quos poetica cum licentia positos esse viri docti aliqui affirmant, ego vero plurales poeticos esse nego.

[1]) Landgraf 68. Bednara 563 sqq.
[2]) Koene 15. 62.
[3]) Bruhn 23. Brenous 97—100.

Restat, ut de poetis et scriptoribus, quos hac in disputatione nominavi, nonnulla dicam. Atque ubique id egi, ut eum poetam invenirem, qui primus omnium pluralem poeticum hunc vel illum aut insuetam illam verborum constructionem admisit, atque inprimis curavi, utrum Vergilius, cuius vestigia imprimis Tacitum secutum esse constat, illo in verbo adhibendo hac licentia usus sit necne; deinde Ovidii exempla attuli, qui omnium poetarum creberrime haec nova admisit.

Quod ad scriptores, primum quidem de usu Caesariano pauca dixi, cuius oratio a poeseos licentia longissime abest, tum Ciceronis exempla attuli, qui iam saepius poetas imitatus est, denique de Livio ut nonnulla proferrem, operam dedi, qui cum aurea latinitate intereunte viveret, illo dicendi genere in prosa oratione insueto saepius usus est quam Cicero.

Liviana quidem atque Ciceroniana exempla multa fortasse me omisisse facile concedam, quia Merguet in lex. Cic. de epistulis Ciceronianis et scriptis rhetoricis nihil affert, exempla Liviana autem, cum lexicon Livianum a Fuegnero non ad finem perductum sit, ea sola conferre potui, quae apud Neuium, Riemannum, Kuehnastium, Draegerum, ceteros inveni. Neque Senecae philosophi omnia exempla attuli, quia non omnes eius libros percensere poteram.[1])

Atque in secunda disputationis parte omnia exempla litterarum ordine disposui, in priore autem parte, in qua de plurali poetico mihi dicendum est, ordine ex materia quaesito usus plurales divisi in partes has:

I. substantiva, quae materiam aliquam significant,
II. corporis partes,
III. instrumenta,
IV. loca vel regiones,
V. substantiva abstracta.

[1]) Solos libros VII de beneficiis et libros II de clementia, epistulas morales et apocolocyntosin percensui.

A.
De plurali poetico.
I.
Substantiva, quae materiam aliquam significant.

a. **aquae**[1]) (~ ὕδατα Pind.)[2]) Catullus semper singularem adhibet. Saepe pluralis occurit apud Vergilium: sensu plurativo Ge. 4,61 *aquas dulces* (= liebliche Gewässer) *et frondea semper / tecta petunt*; Ge. 4,136 *cum tristis hiems . . . / . . . glacie cursus frenaret aquarum* (= Lauf der Bäche); sed etiam pps: Ge. 2,349 *inter enim labentur aquae* (quo loco non de compluribus aquis = rivis agitur); Ge. 4,166 *inque vicem speculantur aquas et nubila caeli*; Ge. 4,229 *prius haustu sparsus aquarum / ore fove*; Ge. 4,410 *in aquas tenuis dilapsus abibit.* Item Ovidius[3]) saepe pps adhibet. In prosa oratione pluralis invenitur iam apud Caesarem, sed sensu plurativo pro „rivi": b. c. I, 48,1 *tanta enim tempestas cooritur, ut nunquam illis locis maiores aquas fuisse constaret*; b. c I, 50,1 (de eadem re) *hae permanserunt aquae dies complures.* Persaepe sing. Caesar exhibet velut b. c. I, 62,2 *altitudine aquae*, b. c I, 40,3. I, 50,2 etc. Cicero plurali usus est numero nat. deor. II, 27 *aer oritur ex respiratione aquarum, earum enim quasi vapor quidem aer habendus est, is autem existit*

[1]) Neue I 605. Maas 525 n. Bednara 535 sq. Hailer 5–6. Sirker 16.
[2]) Witte (7. 168 sqq. 245.) 170 pps ὕδατα a Pindaro primo adhibitum esse docuit, non ab Homero, ut voluit Bednara l. l.
[3]) Bednara 536.

metu eius caloris, qui aquis continetur; quam similitudinem cernere possumus in iis aquis, quae effervescunt subditis ignibus. Atque in fine haud scio an pps agnoscendus sit, quoniam hoc loco ea vox denotat „Wasser", non „Gewässer", quam denotationem cetera tria loca *(aquarum, earum, aquis)* habere non negem. Sensu plurativo pluralis saepius obvius est; saepe autem et singularis apud Ciceronem extat: Sex. Rosc. 71 *cui repente caelum, solem, aquam terramque ademerint*; Caecin. 74 *aquae ductus, haustus, iter* etc. Item Livius saepe pps admisit,[1]) ut 22,2,8 *cum omnia obtinentibus aquis nihil, ubi in sicco fessa sternerent corpora, inveniri posset.* Idem sing. quoque saepe exhibet velut 35,26,8 *quae* (navis) *per se ipsa omnibus compagibus aquam acciperet* et saepe. Velleius Paterculus pluralem non adhibet nisi ea denotatione, quae est „Heilquellen": I 15,4 *qui Sallues apud aquas, quae ab eo Sextiae appellantur, devicit*; II 25,4 *Sulla . . . aquas salubritate medendisque corporibus nobiles agrosque omnis addixit deae.* Singularis extat II 81,2 *aqua promissa* (est) et saepius. Valerius Maximus sens. plurat. pluralem exhibet I 6,5 *Caerites aquas sanguine mixtas fluxisse*, certe autem pps IX 2,1 *lacerata ferro corpora Tiberis inpatiens tanti oneris cruentatis aquis vehere est coactus*; singularis saepe obvius: I 6,3 *aquam eius lacus emissam . . .*; VIII 1, abs. 5 *effice, ut hoc* (cribro) *hauriam e Tiberi aquam*; III 8, ext. 6 (Cydnus) *aquae liquore conspicuus* et saepe. Apud Senecam rhetorem nihil inveni, in quo haereremus.[2]) Seneca philosophus plurali utitur sens. plurat. ben. IV 5,3 *quid in ipsis litoribus aquarum calentium exundatio?* pps adhibuisse videtur nat. quaest. I 6,1 *a meridie ortus magnam vim aquarum vehet*; sing. extat ben. IV 29,1 *aquam haurire*;

[1]) Riemann 51.
[2]) Thes. l. l. s. v. „aqua" ne unum quidem Senecae rhet. exemplum affert.

II 2,2 *aqua tempestive data remedii locum obtinuit* et saepe. Petronius singulari saepe utitur; pps obvius est: 100,1 *quid aquis dici formosius potest:* [saepius[1]) in versibus dactylicis: 123 v. 234 „et pulsas evertit aquas" (metro cogente); 131 „has inter ludebat aquis errantibus amnis" (metr. cog.)] Tacitus pluralem adhibet plurat. sensu (= Gewässer, Bäche) 11,13,6 *fontesque aquarum Simbruinis collibus deductos urbi intulit*; V 3,14 *largas aquarum venas* et saepe; sed etiam pps: 13,57,8 *ex contrariis inter se elementis, igne atque aquis concretum* (salem) (fort. ut evitaret „igne **a**tque **a**qua"); 12,57,1 *apertum aquarum iter*; 12,57,6 *vis aquarum prorumpens*; fortasse etiam 1,75,5 non de compluribus rivis agitur: *mole publicae viae ductuque aquarum labefactas aedis suas* et saepius. Contra singularem posuit 4,30,4 *egenam aquae utramque insulam*; V 12,3 *fons perennis aquae* et saepius.

---

[1]) Cancellis inclusos [. . . .] minoribusque litteris scriptos omnes eos plur. poet. contuli, qui extant in carminibus Petronii, ut appareat, quanto saepius plurales poet. in versibus occurrant quam in prosa oratione eiusdem scriptoris. Nonnulli autem plurales in carminibus Petronii poetica cum licentia adhibiti sunt, qui cum apud nullum eorum, quos percensebo, scriptorum eo sensu occurrunt, in disputatione ipsa omitti posse arbitrabar. Obvii sunt in versibus dactylicis hi pps: 5 v. 9 „Tritonidos **arces**" (= Acropolis). 55,3 „da nobis **vina** Falerna, puer." 122 v. 61 „Gallos iterum **Capitolia** nostra petentes." 122 v. 130 „plenos extinxit Cynthia **vultus**". v. 182 „aurato praecinxit fulgure **vultus**". 127,9 „emicuere **rosae violaeque** et molle cyperon". 128 v. 7 „mox ubi fugerunt elusam **gaudia** mentem." 131,8 „nobilis aestivas platanus diffuderat **umbras**". 131,8 „circum **gramina** fusae / ac molles **violas**". 132,11 „nec . . . magis movetur / quam lentae salices lassove **papavera** collo". 135,8 v. 2 „nec iam calcato radiabat marmore terra / **muneribus** delusa suis" (= marmore delusa). 135,8 v. 14 „et **thymbrae** veteres et passis uva racemis." — In senariis iambicis hi pps positi sunt: 89 v. 7 „aperitur ingens antrum et obducti **specus**". 89 v. 22 „ictusque resilit et **dolis** addit fidem." 89 v. 30 „celsa qua Tenedos mare / dorso replevit, tumida consurgunt **freta**". 89 v. 60 „ceu ubi solet / . . . quadrupes . . . / cervicem et altas quatere ad excursum **iubas**".

b. **harenae**[1]) (~ ψάμαθοι[2]) Hom.). Lucretius et Catullus semper singularem adhibent; pps inde a Caesaris temporibus (cf. infra). Vergilius plurali usus est sensu plurativo Ge 2,106 *multae . . . harenae*; sed etiam pps: Ge 2,139 *totaque turiferis Panchaia pinguis harenis*; Ge 2,232 *pedibus summas aequabis harenas*, saepe. Item Propertius,[3]) Horatius,[3]) Ovidius[4]) saepe pluralem exhibent. Cato,[4]) Varro r. r.,[4]) Cicero, Sallustius,[4]) Caesar solum singularem usurpaverunt; quin etiam *Caesar harenas vitiose dici existimabat* (Gell. XIX 8,3). Cicero etiam sensu translato (= Sandwüste) singularem exhibet leg. agr. II 71 *harenam aliquam aut paludes emat* plurali *paludes* adiuncto. Livius semel pluralem admisit 22,16,4 *cum . . . Poenus inter Formiana saxa ac Literni arenas stagnaque et perhorridas silvas hibernaturus esset* (= Sandwüste). Velleius Paterculus semper singulari utitur: I 10,2 *finito harenae circulo*; II 22,4 *Q. Catulus . . . conclusit se loco nuper calce harenaque perpolito.* Valerius Maximus pps exhibet I 7, ext 3 *melius illi et diuturnius in animis hominum sepulcrum constituens quam in desertis et ignotis harenis struxerat* (cf. Ovid. a. a. I 527 *Gnosis in ignotis amens errabat harenis*). Apud Senecam rhetorem hic pluralis poeticus non extat. Seneca philosophus pps: ep. 55,2 *cum harenis, quae umore alligantur, sucus abscessit*; ben. IV 9,2 *quia ne agricolae quidem semina harenis committant*; dial. V 20,3 *postquam inter harenas radices quoque et herbae defecerant*; nat. quaest. I praef. 9 *inter Aegyptum et Aethiopas harenarum inculta vastitas iaceat* etc. Petronius solum singularem adhibet 34,4 *qui harenam in amphitheatro spargunt*; 81,3 *harenae imposui* saepius. Tacitus plurali usus est

---

[1]) Neue I 616–617. Maas 504. 506. 519. 526. 529. Bednara 536. Slotty 36. Landgraf 65—66. Sirker 16. Riemann 38.

[2]) Witte 12. 43 sq. 46. 78. 237.

[3]) Neue l. l.

[4]) Bednara 536.

sens. transl. 2,61,4 *disiectas . . . inter et vix pervias harenas* (= Sandwüsten); propr. sens. pps: . V 7,11 *circa cuius* (Beli amnis) *os lectae harenae admixto nitro in vitrum excoquuntur*. Contra singularem posuit 15,3,10 *congestu harenae*; reliquis locis singularis *harena* denotat „Arena, Zirkus".

cineres[1]) (∼ κονίαι Hom.) Primus Vergilius pps adhibet: B. 8,101 *fer cineres Amarylli*; concinnitatis causa: Aen. 4,427 *nec patris Anchisae cineres manesve revelli*; Aen. 5,55 *nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis* et saepe; quibus in ultimis duobus exemplis plurales *manes* et *ossa* ad pluralem poeticum *cineres* gignendum ansam dederunt. Item Ovidius pps admisit. Caesar hac voce non usus est. Cicero semper singularem ponit: Verr. I 113 *cur hunc dolorem* **cineri** *eius atque* **ossibus** *inussisti?* Verr. V 128 **cineri** *atque* **ossibus** *filii sui*; Quinct. 97 *obsecravit per fratris sui mortui cinerem* etc. De Liviano usu neque apud Neuium neque apud Riemannum quicquam inveni. Velleius Paterculus hanc vocem non adhibet. Valerius Maximus de cinere mortui combusti solum pluralem usurpat, de cinere alius. rei solum singularem; idem singulari utitur eis locis, quibus universe de cinere agitur [2]) Quod facile intellegitur hoc ex exemplo: V 3, 2 b: **cineres** *ei suos negavit, quam in* **cinerem** *conlabi passus non fuerat*. Singularis extat: I 8, ext 18 *quapropter . . . . aram ad omnes ventos inmobili cinere donaverit*; II 1,5 *capillos cinere rutilarunt*; IX 2, ext. 6 *saeptum . . . altis parietibus locum cinere conplevit*; pluralis sens. plurat.: V 2,10 *pace cinerum suorum reges gentium exterarum secundum hunc tam contemptum gregem referri se patientur*; V 3, ext. 3 (p. 242,19) *cineribus nostris foede ac miserabiliter dispersis*; pps: II 4, 7

---

[1]) Neue I 618. Norden 192. Bednara 552. Maas 516. 518. 519. Spitta 44. Hailer 11. Witte 11. 40. 41. 73.

[2]) Eodem modo hac voce utuntur Petronius et Tacitus.

patris cineres honorando; II 7,15 (p. 91,12) *cineres eius adquiescunt*; VIII 15, ext. 3 *cuius cineres idem honoris possident*; VII 8,4 *cineres fratris quietos esse passus est*; VII 6, ext. 3 *quo perseverantius interempti Sertorii cineribus . . . fidem praestarent*. Seneca rhetor sens. plur. pluralem posuit contr. X 1,14 *supra cineres liberorum nostrorum lupanar solo aequandum est*; pps adhibuit contr. I 1,3 *ergo fame morientem videbo, per cuius cineres iuraturus sum?*; VII praef. 7 *iura per patris cineres*; IX 6,5 *etiam cineribus tuis infesta est noverca*. Singulari utitur IX 3,12 *quid putatis esse Cestium nisi Cesti cinerem?*; X 5,1 *super exustae Olynthi cinerem stetit*. Apud Senecam philos. hunc pps non inveni; singularem scriptum vides ep. 91,16 *aequat omnes cinis*. Petronius pps exhibet 71,7: *omne genus enim poma volo sint circa cineres meos*; singulari utitur 136,2 *faciem . . . excitato cinere perfundit*. [In versibus hexam. pluralem sens. plurat. ponit 120 v. 66 „divisit cineres"; singularis extat 111,12 „id cinerem aut manes credis sentire sepultos?" (metro cogente)]. Tacitus pluralem usurpavit sens. plur. 2,69,13 *reperiebantur solo ac parietibus erutae humanorum corporum reliquiae, carmina et devotiones . . ., semusti cineres ac tabo obliti*; certe pps (de cinere unius hominis) 2,39,8 *furatur cineres* (Agrippae); 2,75,3 *ascendit classem cum cineribus Germanici*; 3,2,4 *tribunorum centurionumque umeris cineres* (Germanici) *portabantur*; 14,12,17 *Lolliae Paulinae cineres*. Singularis semel extat V 7,6 *cuncta . . . atra et inania velut in cinerem vanescunt*.

c. **ignes**[1]). De variis huius vocis significationibus, quibus usi et poetae et scriptores summo iure pluralem adhibent, diligentissime egit Slotty p. 11, quem secutus Bednaram esse falsum puto, qui a Cicerone (Verr. V 6,14) pps positum esse arbitratur. Lucretii et Catulli temporibus pluralem ortum esse constat.[2]) Catullus pluralem admisit de fulgore unius

---

[1]) Bednara 553. Slotty 11—12. 37. 49—50. Landgraf 66. 67. Spitta 13. 42. Hailer 13. 22.

[2]) Bednara l. l. Slotty 49.

sideris 62,7. Vergilius pps: Aen. 2,624 *tum vero omne mihi visum considere in ignis | Ilium*; 9,145 *at non viderunt moenia Troiae | Neptuni fabricata manu considere in ignis?* Item Ovidius pps: met V 106 *medios animam exspiravit in ignes* (scil. arae); Pont. I 2,133 *qui duxi vestros Hymenaeon ad ignes* (= penates), saepe. Caesar pluralem non admisit nisi ea vi quae est „Wachtfeuer" (b. G. VI 29,5) aut „Signalfeuer" (b. G. II 33,3). Quomodo Cicero usus sit plurali numero, Slotty l. l. docuit. Velleius Paterculus plerumque singularem adhibet: II 22,4 *inlatoque igni, qui vim odoris excitaret, . . . mortem . . . obiit*; II 74,4 *subiecto rebus ac penatibus suis igni* et saepius (semper in casu ablativo posita est haec vox). Vno loco pluralis sens. plur. extat: II 131,1 *perpetuorumque custos Vesta ignium*[2]). Valerius Maximus eodem sensu ac Velleius Paterculus plurali utitur IV 6,5 *tuos quoque castissimos ignes* et V 4,7 *ignoscite, vetustissimi foci, veniamque aeterni date ignes*; certe pps: V 4, ext. 4 *quod patrem et matrem umeris per medios ignes portarint*; IX 2, ext. 9 *quo* (aeneo tauro) *inclusi subditis ignibus . . . spiritum edere cogebantur.* Singularis saepe extat: I 8,12 *postquam corpus eius ignis corripuit*; V 1, ext. 1 *propinqua igni sede residens*, et saepe. Seneca rhetor sens. plur. pluralem adhibuisse videtur contr. X 5,6 *narraturus sum Olynthii senis ignes, verbera, tormenta*; X 5,9 *statuitur . . . tortor cum ignibus, flagellis, eculeis.* Certe autem pps admisit contr. X 5,7 *pinge Promethea, sed homines facientem, sed ignes dividentem*; II 2,8 *non vides, ut . . . exagitata* (fax) *reddat ignes?*; suas. 5,1 *suis ira ardet ignibus* et saepe. Contra singulari usus est contr. II 1,11 *tantaeque viarum angustiae, ut neque adversus ignem praesidium nec . . .* et II 1,12 *nempe ut anxii et interdiu et nocte ruinam ignemque metuant* etc.

[2]) Agitur sine dubio de ignibus sempiternis qui in omnibus domibus erant (cf. Usener „Götternamen" (1896) p. 32). — Idem dicendum est de verbis illis: „aeterni" vel „vetustissimi foci", quae extant apud Val. Max. IV 4,11; V 4,7; VI 1.

Seneca philosophus sens. plur. pluralem adhibet: ben. IV 23,2 *ipse mundus, quotiens per noctem ignes suos fudit*; clem. I 7,2 *cum . . . ignes hinc atque illinc micant*; fortasse etiam ben. VII 20,4 *e cavernis maris ignium eruptio* et saepe. Certe pps: ben. III 37,1 (Aeneas) *tulit illum* (scil. Anchisen) *per ignes*; ibid. VI 36,1 *si optaverint, ut Aetna immensam ignium vim . . . praecipitet*; clem. II 2,2 *qui* (Graecus versus) *se mortuo terram misceri ignibus iubet* etc. Contra singulari utitur: ben. VII 31,5 *cum penates ignĭs absūmpsĭt*; clem. II 4,1 *in ignem vivos imponunt*, saepe. Petronius in prosa oratione solum singularem exhibet: 79,6 *anus . . . ne ignem quidem admotum sensisset*; 98,9 *utinam me solum inimicus ignis hauriret*, saepe. [In vers. hex. pps ponit: 122 v. 123 „(nubes) elisosque abscidit ignes (= fulgur)"]. Tacitus pluralem summo iure usurpavit = Wachtfeuer (II 66,17 1,65,3 etc.); = Scheiterhaufen (14,33,15 *caedes, patibula, ignes, cruces . . . festinabant*; 15,57,3); = Brandpfeile (15,11,6 *ignium iactu.* IV 23,20 *oppugnatores ignibus petantur.* 4,49,8); = incendia (13,48,4 *seditio ad saxa et minas ignium progressa.* 15,38,3 *clades . . . omnibus, quae huic urbi per violentiam ignium acciderunt, gravior.* IV 72,8); = Fackeln (14,21,17 *tanta luce ignium*; contra eodem sensu singularem scriptum vides 14 30,8 *obvios . . . igni suo involvunt*). Propria vi pluralem posuit, sed sens. plurat. 2,47,6 *effulsisse inter ruinam* (duodecim urbium) *ignes memorant*; 13,57,20 (de eodem incendio) *quanto magis profana et usu polluta* (tegmina corporis), *tanto magis oppressura ignes.* Sed pps agnoscendus esse mihi videtur 15,43,12 *is lapis ignibus impervius est.* Contra saepe singularis quoque extat: 2,8,14 *igne et caedibus perfidiam ultus est*; 14,38,6 *igni atque ferro* et saepe.

incendia.[1]) Catullus merum pluralem pro sing. ponere non ausus est. Vergilius sens. plur. pluralem adhibet

[1]) Bednara 544. Braumüller 12. 28. Appel 21. Hailer 23.

Aen. 10,406 *dispersa immittit silvis incendia pastor* et saepe; pps: Aen. 2,706 *et iam per moenia clarior ignis / auditur, propiusque aestus incendia volvont*; 5,680 *sed non idcirco flamma atque incendia vires / indomitas posuere*, saepius. Item Ovidius[1]) pps. Caesar pluralem semper sens. plurat. adhibet, velut b. G. V 48,10 *fumi incendiorum procul videbantur*; b. c. I 25,10 etc.; singularis quoque extat: b. G. VII 55,8 etc. Item Cicero saepe plurali utitur sens. plurat., velut Catil. II 10 *eructant sermonibus suis caedem bonorum et urbis incendia*, quo loco pluralis certe eodem modo sens. plurat. positus est ac Catil. I 9 *discripsisti urbis partes ad incendia*. Livii quae exempla Riemannus affert, pluralem non nisi sens. plurat. praebent: 2,62,4; 2,63,2; 22,14,4. Velleius Paterculus pluralem adhibet II 35,4 *impendentia ex ruinis incendiisque urbis ... pericula exposuit*, ubi pluralis fortasse concinnitatis causa positus est, sed et pluralis, qui antecedit, *ruinae* pps est. Sens. plur. pluralis obvius est II 91,3 *quem* (favorem populi) *extinguendis privata familia incendiis in dies auxerat*; singularis saepe extat: II 74,4 *urbs incensa, cuius initium incendii princeps eius loci fecit Macedonicus*; sens. transl.: II 82,4 *crescente ... et amoris in Cleopatram incendio et vitiorum*; II 125,4 *ad ... incendium militaris tumultus missus erat*; II 130,4. Valerius Maximus pluralem fort. de compluribus incendiis adhibet II 7,1 *Numantiam incendiis exustam ruinisque prostratam solo aequavit*; singularis saepius occurrit: I 8,11 *bis ea aede incendio consumpta*; VIII 1 damn. 5 *ad incendium in sacra via ortum extinguendum* et saepe. Seneca rhetor solum singularem usurpat VII 2,7 *Metellus Vestae extinxit incendium, Cicero Romae*; X 5,23 *quid, si volueris bellum pingere, quid, si incendium?*. Seneca philosophus hoc plurali poetico non utitur; pluralis sens. plur. extat ep. 91,13 *Romae ... incendia*, singularis saepe: ep. 91,1; 9,18; 30,4 etc.

[1]) Bednara 544.

Petronius in prosa oratione semper singularem ponit: 53,5 *incendium factum est in hortis Pompeianis*; 78,8 *raptimque tam plane quam ex incendio fugimus*; 74,2. [In vers. hex. semper pluralis obvius est, sed sens. plur.: 122 v. 139 „fax stellis comitata novis incendia ducit"; 124 v. 263 „terris incendia portat"; 123 v. 215]. Tacitus sens. plurat: IV 34,13 *vastatione incendiisque flagrantium villarum venire victorem exercitum intellegebatur*; I 2,10 *urbs incendiis vastata*; V 12,15 *proelia dolus incendia inter ipsos*; 15,41,13 *inter utraque incendia*[1]) etc.; pps autem 15,43,2 *post Gallica incendia*; singularis saepe extat.

d. Veniendum est ad plurales *tura* et *balsama*.

tura[2]) (~ ϑύεα Hom.). Primus Vergilius pluralem exhibet: B. 8,65 *mascula tura*; Ge. 1,57 *India mittit ebur, molles sua tura Sabaei*. Item pps adhibet Ovidius,[3]) Tibullus,[4]) Prop.,[4]) Horatius.[4]) In prosa oratione pluralis neque apud Caesarem neque apud Ciceronem legitur (Verr. V 146 *proferebant ... tus alii atque odores*; Verr. IV 77 *ture*). Velleius Paterculus, Seneca rhetor, Petronius hac voce omnino non usi sunt. Valerius Maximus pps: I 1,15 *candidam induere vestem et aris tura dare coactae sunt*; V 10 ext. 2 *alius ... lacrimis respersa tura disiecisset*; contra singulari utitur: IX 1,5 *cum in Hispania adventus suos ab hospitibus aris et ture excipi patiebatur*. Seneca philosophus singularem exhibet ben. IV 25,1 *nisi forte illos existimas fructum operum suorum ex fumo extorum et turis odore percipere*;

[1]) Quamquam singularis „inter utrumque incendium" in prosa aureae latinitatis usitatior fuisset, tamen hunc pluralem poeticum esse negaverim, quia, cum re vera de duobus incendiis agatur, sensus quidem pluralem admittit. Idem valere puto de his Petronii locis: 103,1 „hic (tonsor) continuo radat utriusque non solum capita, sed etiam supercilia" et 103,4 „inplevit Eumolpus frontes utriusque ingentibus litteris."

[2]) Neue 615. 748. Maas 495 506. 522. Landgraf 69. Hailer 8 Bednara 561. 555 n. 5.

[3]) Bednara 561.

[4]) Neue 615.

ep. 67,12 *non ture nec sertis.* Plinius pps: n. h. 12,51 *tura praeter Arabiam nullis* (contra paulo ante: *principalia ergo in illa* (Arabia) *tus atque murra)*; 12,59 *ubi tura interpolantur,* saepe. Tacitus pps semel exhibet: G. 45,23 *ubi tura balsamaque sudantur,* quem locum respicere videri ad Ovid. met. 10,308 *sudata tura* iam Landgraf docuit. Singulari Tacitus non usus est.

balsama.[1]) Vergilius pps adhibet Ge. 2,119 *quid tibi odorato referam sudantia ligno | balsama.* Item pps legitur Eleg. in Maec.[2]) 1,134 *palmiferis balsama missa iugis.* Catullus, Tib., Hor., Ov., Caesar, Cicero,[3]) Livius,[3]) Vell. Pat., Val. Max., Sen. rhet., Sen. philos.,[3]) Petronius hac voce omnino non usi sunt. Cornelius Celsus,[3]) Scribonius Largus,[3]) Plinius[3]) nat. hist. solum sing. adhibent. Columella pps: X 301 *balsama cum casia nectens croceosque corymbos.* Martialis pps: III 63,4 *balsama qui semper, cinnama semper olet*; XIV 59,1 *balsama me capiunt. haec sunt unguenta virorum.* Tacitus pps posuit G. 45,23 *ubi tura balsamaque sudantur*; contra sing. exhibet V 6,5 *praeter eas* (fruges) *balsamum et palmae*; V 6,6 *balsamum modica arbor.*

e. **hederae.**[4]) Catullus solum singularem ponit. Primus Vergilius plurali utitur: B. 4,19 *errantis hederas*; Ge. 2,258 *hederae pandunt vestigia nigrae*; 4,124 *pallentisque hederas et amantis litora myrtos*; contra sing. exhibet B. 3.39 *lenta quibus torno facili super addita vitis | diffusos hedera vestit pallente corymbos*; 7,25 *pastores, hedera crescentem ornate poetam*; 8,13 *atque hanc sine*

[1]) Neue I 612. Landgraf 69.
[2]) quae elegia paulo post Maecenatis mortem composita est. cf. Skutsch, R. E. IV 933 sqq. Lillge, de elegiis in Maec. quaestiones, Vrat. 1901.
[3]) Thes. l. l. s. v. „balsamum".
[4]) Bednara 537. Maas 528. Neue I 615.

tempora circum | inter victrices hederam tibi serpere laurus. Item Propertius, Horatius, Ovidius pps admiserunt. Caesar singulari utitur b. c. III 96,1 *nonnullorum tabernacula protecta hedera* ... Cicero in orationibus et scriptis phil. hac voce non usus est. Velleius Paterculus pps: II 82,4 *redimitus hederis*; singularis non extat. A Valerio Maximo, Seneca rhetore, Seneca philosopho hanc vocem non inveni adhibitam. Petronius pps: 41,6 *puer speciosus, vitibus hederisque redimitus*; singulari non usus est. Tacitus solum singularem usurpat: V 5,24 (sacerdotes) *hedera vinciebantur*; 11,31,11 *Silius hedera vinctus.*

frondes.[1]) Pluralis iam ab Ennio[2]) usurpatur. Catullus singulari utitur. Vergilius saepe pluralem adhibet: Aen. 7,565 et 11,523 *densis hunc frondibus atrum | urguet utrimque latus nemoris*; 10,190 *populeas inter frondes* et saepe; contra singularem ponit Ge. 2,372; Aen. 4,134 *cetera populea velatur fronde iuventus.* Ovidius saepe pps exhibet. Cato[3]) agr. 4, Varro[4]) r. r. I 24,3; II 5,11, Caesar b. G. III 58,5 (*etiam frons* [sic edd., *fructus* codd.] *ex arboribus deficiebat*) singulari utuntur. Cicero semel hanc vocem adhibet: Cael. 42 *haec ... via ... interclusa iam frondibus et virgultis relinquatur* (fort. propter concinnitatem). Apud Velleium Paterculum, Valerium Maximum, Senecam rhetorem pps non inveni. Seneca philosophus pps habet ep. 104,11 *quemadmodum frondium iactura facilis est*; contra in abl. semper singularis obvius est: ep. 89,10; 90,41; 124,11. Petronius in prosa oratione hac voce non utitur [in hexametro autem scripsit 119 v. 38 „solae desertis adspirant frondibus aurae"]. Tacitus hanc vocem non exhibet.

His pluralibus adiungere mihi liceat pluralem „semina", quamquam poetica cum licentia non nisi sensu translato adhibetur.

[1]) Neue I 746. Maas 517 n., 525 n. 2. Bednara 552. Spitta 45
[2]) Maas 517. [3]) Maas 525 n. 2. [4]) Neue I 746.

semina[1]) (~ *σπέρματα* Soph.). Omnibus locis, quibus pluralis singula semina (= Samenkörner Cic. Phil. II 55; = Pflänzlinge, Setzlinge Cato agr. 46,1 et 2) significat, pluralem iure positum esse puto. Aliter autem res se habet in his exemplis: „semina rebellionis, belli“ etc., quibus locis nos quidem Germani singularem ponere solemus: „der Same der Zwietracht, des Krieges“ etc. Sed ut verborum constructionem illam „Same der Zwietracht“ nostra in lingua, ita et illud „semina rebellionis“ latina in lingua poetica cum licentia dici nemo negabit. Itaque factum est, ut scriptores Romani, quia poetae plerumque pluralem metro iubente usurpabant, multo saepius pluralem adhibeant quam singularem.

Catullus solum singularem novit. Vergilius pluralem adhibet, sed sensu plurat. Ge. 2,152 *at rabidae tigres absunt et saeva leonum | semina* (= Geschlecht, Gezücht); Aen. 6,731 *igneus est ollis vigor et caelestis origo | seminibus.* Ovidus certe pps admisit a. a. III 512 *odii semina* et saepius. Apud Caesarem haec vox non occurrit. Cicero pps adhibet fin. IV 17; nat. deor. III 71 *iustitiae semina*; sens. plur.: divin. II 33 *semina malorum*, saepe. Contra singulari usus est off. II 29 *bellorum civilium semen et causa*; Phil. IV 13 *virtus . . ., quae propria est Romani generis et seminis* et saepius. Apud Velleium Paterculum hic pps non obvius est. Valerius Maximus proprio sensu singularem ponit IV 4,5 *Atilium . . . semen*[2]) *spargentem viderunt.* Seneca rhetor sens. plurat. pluralem exhibet suas. 3,1 *miseri cremata agricolae lugent semina.* Seneca philosophus sens. plurat. utitur plurali: ben. IV 9,2 *quia ne agricolae quidem semina harenis committant*; IV 27,4 *omnia nequitiae semina*; III 29,4 *semina omnium rerum causae sunt*; IV 6,6. pps intellegendus est ben. IV 8,1 *quoi primum inventa seminum vis est consultura per voluptatem*; ep. 120,4 *semina nobis scientiae dedit,*

[1]) Bednara 561.

[2]) Vahlen Mus. Rhen. XI (1857), p. 589 n.

scientiam non dedit; singularis saepe extat velut ep. 108,8 *omnibus enim natura fundamenta dedit semēnquĕ vīrtūtūm*; ep. 87,25 etc. Petronius bis singularem adhibet: 38,4 *semen boletorum* et 138,1 *urticae trito . . . semine.* Tacitus solum pluralem novit, eumque proprio sensu: 13,54,6 *semina arvis intulerant*; certe pps: I 53,8 *semina discordiae*; 16,7,10 *semina belli civilis*; 11,19,10 *semina rebellionis*; 4,60,17 *semina futuri exitii* et saepius.

f. **carnes**[1]) (fort. ~ *κρέα, σάρκες*[2]). Pluralis[3]) iam ab Ennio adhibitus ann. 322 *Cyclopis venter velut olim turserat alte | carnibus humanis distentus.* Naevius, Plaut., Lucret. solum sing. noverunt. Catullus, Vergilius, Tibullus hanc vocem non exhibent. Varro Sat. Men. 40 *neque in polubro mystico coquam carnes, | quibus satullem corpora ac famem ventris.* Ovidius pps: met. 2,769 *videt intus edentem | vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum, | Invidiam* 7,269 *ipsis cum carnibus alas*; contra singulari utitur met. 12,156 *corpora tosta | carne replent*; 15,380 *sed male viva caro est.* Cato, Caesar (b. G. VI 22,1. V 14,2), Cicero (Piso 19. 67. nat. deor. II 126.), Sallustius (Iug. 18,1), Varro l. l. et r. r., Livius, Valerius Maximus (I 6,5 *carnis . . . dissipatae partes*; VIII 1 damn. 8 *cum bubulae carnis in propinquo emendae nulla facultas esset*) solum singularem adhibent. Velleius Paterculus et Seneca rhetor hac voce non usi sunt. Seneca philosophus pluralem ponit concinnitatis causa dial. IV 36,2 *tanta deformitas eius est per ossa carnesque*; contra singularis obvius: ep. 102,25 *detrahetur caro et suffusus sanguis*; ep. 95,25; 78,24; 65,22; 74,16; 92,20 etc. Petronius pps: 141,9 *Saguntini humanas ēdĕrĕ carnēs*; singularis extat 57,3 (in Trimalchionis sermone plebeio): *in molle carne vermes nascuntur,* 136,1; 141,3; Tacitus singulari utitur 14,24,2 *carne pecudum.*

[1]) Maas 484. 528. Neue I 622. [2]) Witte 12.

[3]) Voci „caro“ interdum inest prisca notio „pars“, cf. Buecheler, M. Rh. 38, 479.

g. **lanae**[1]) (~ ἔρια Hom.). Catullus et Vergilius solum singularem noverunt. Primus Horatius pps adhibet: Od. II 16,37 *te bis Afro / murice tinctae / vestiunt lanae*; III 15,13; singulari utitur III 5,28 *neque amissos colores / lana refert medicata fuco.* Ovidius saepe pps ponit. Caesar hac voce non usus est. Cicero singularem exhibet Verr. I 86 *quid a Milesiis lanae publice abstulerit?*. Apud Velleium Paterculum, Valerium Maximum, Senecam rhetorem hanc vocem non inveni. Seneca phil. singulari utitur ep. 71,31 *quemadmodum lana quosdam colores semel ducit.* Petronius pps: 78,2 *iussitque nos temptare an bonis lanis essent confecta* (praetexta et stragula). Contra singulari utitur: 28,2 *palliis ex lana mollissima factis*; 38 *lana* (domi nascitur) etc. Item pps extat apud Plinium[2]) (19,48 etc.) et Quintilianum (I 1,5 etc.).

h. **nives.**[3]) Primus pluralem usurpavit Lucretius V 746; VI 107. Vergilius concinnitatis causa: B 10,47 *Alpinas a! dura nives et frigora Rheni / me sine sola vides*; 10,23 *perque nives alium perque horrida castra secuta est*; certe pps: Aen. 12,84 *qui* (equi) *candore nives anteirent* et saepe. Item persaepe Ovidius[4]) pps adhibet. Caesar plurali usus est, sed sensu plurativo b. c. I 48,2 (tempestas) *ex omnibus montibus nives* (= Schneemassen) *proluit*; b. G. VII 55,10 *Liger ex nivibus* (= Schneefällen) *creverat*; contra singulari usus est b. G. VII 8,2 *mons Cevenna . . . altissima nive iter impediebat.* Cicero pps adhibet Sest. 12 *cum e pruina Appennini atque e nivibus illis emersisset* et saepe; singularis extat nat. deor. II 26 *neque . . . frigoribus neque nive pruinaque* et saepius. Livius[5]) sens. plur. pluralem ponit: V 6,3 *per nives ac pruinas*; V 2,7 *militem*

[1]) Bednara 537. Maas 503 n. 517. 528. Hailer 9.

[2]) Neue I 621 sq.

[3]) Neue I 606—607. Maas 490. 517 n. Bednara 534 n. 4. 553. Landgraf 65.

[4]) Bednara 553.

[5]) Riemann 37.

Romanum . . . nivibus pruinisque obrutum. Apud Velleium Paterculum, Valerium Maximum, Senecam rhetorem pluralis non legitur. Seneca phil. ben. IV 39,3 *non quidem* (ibo) *si nives cadent*; ep. 79,4 *quantum ab ipso ore montīs nĭvēs absĭnt, quas ne aestas quidem solvit*; singularis saepe obvius est: ep. 78,23; 95,21; 95,25 etc. Petronius pps utitur 99,3 *incultis asperisque regionibus diutiūs nĭves hăerĕnt* fort. propter clausulam. [In vers. hex. pps adhibet 123 v. 198 „incaluere nives"; singularis extat 122 v. 146 „hunc (locum) nive dura / claudit hiems"; 123 v. 201 „victa erat ingenti tellus nive."] Tacitus pps: III 59,7 *nives eluctantibus*; V 6,10 *Libanum . . . fidum . . . nivibus*; 12,13,1 *nivibus et montibus fessi.* Singularem semel adhibet: I 79,17 *altitudine ac mollitia nivis hauriebantur* (milites).

i. **venena**[1]) Primus Vergilius pps habet; item Ovidius saepe pps ponit. Caesar hac voce omnino non usus est. Cicero pluralem exhibet. sens. plur. Catil. II 23 *spargere venena didicerunt*; har. resp. 34 *omnia venena*; singularis persaepe extat. Apud Velleium Paterculum, Valerium Maximum, Senecam rhetorem, Petronium, Tacitum pps non inveni. Seneca philos. pps adhibet ep. 42,4 *non desunt tunc illi* (scil. serpenti) *venena, sed torpent*; contra singulari utitur ep. 81,22 *illud venenum, quod serpentes in alienam perniciem proferunt.*

II.
Corporis partes.

a. **ora**[2]) (~ πρόσωπα Hom.[3]). Primus Vergilius pps adhibet Ge. 3,188 *inque vicem det mollibus ora capistris / invalidus etiamque tremens.* Multa alia exempla Spitta contulit. Quod ad Ovidium, vide quae exposuit Bednara.

[1]) Neue I 600. Bednara 551. Maas 504. 521. 529. Landgraf 69.

[2]) Neue I 749—750. Maas 531. 540—41. Bednara 560. Landgraf 69. Appel 25. Spitta 20—21.

[3]) Witte 16. 55. 57. 86. 104. 164 sq.

In prosa oratione apud Caesarem, Ciceronem, Livium pluralis de ore unius hominis non occurrit. Item Velleius Paterculus singulari utitur, velut I 16,4 *philosophorum quoque ingenia Socratico ore defluentia*; I 18,3 *nisi Thebas unum os Pindari inluminaret* et saepius. Valerius Maximus sens. plurat. pluralem ponit II 10,3 *per ora vulgi*; VI 2,3 *spolia ... totius tunc fori ora clauserunt*; sed pps: III 2,23 *saxique pondere ora contusis*, quo loco sine dubio propter clausulam pluralem adhibuit; contra persaepe singulari utitur: I 6 ext. 2 *formicae in os grana tritici congesserunt*; I 8 ext. 18 *capras ... ore aperto* saepe. Seneca rhetor solum singularem adhibet: contr. IX 4,1 *haec vulnera quae in ore videtis meo*; IX 4,3 *conpressas fili manus in os meum inpegi* et saepius.[1]) Apud Senecam philosophum pps non inveni; pluralis sens. plur. extat ben. I 2,5 *leonum ora*; ep. 83,25 *ora ac manus proscriptorum*; singularis ben. IV 31,2; clem. I 25,1; ep. 47,4; 99,21 etc. Petronius in oratione soluta solum singularem novit: 42,5 *aquam in os suum non coniecit*; 73,3 *diduxit usque ad cameram os ebrium* etc. [pps adhibet et in vers. hexam.: 124 v. 259 „sanguineum late tollit caput oraque mille / vulneribus confossa cruenta casside velat.“ 120 v. 76 et 96. 124 v. 275 „obsessa draconibus ora“; (de eadem re singulari utitur v. 272 „huius in ore“; singularis extat etiam 122 v. 127 „ore cruento / deformis Titan“; 123 v. 206 „torvo Juppiter ore“ etc.); et in senario iambico 89 v. 45 „parvulas illi manus / ad ora referunt.“] Tacitus pps: III 10,11 *pectus atque ora singultu quatiens*, qui locus respicere videtur ad Ov. am. III 9,12 *oraque singultu concutiente sonant*. Contra singularem adhibet 1,23,1 *pectus atque os manibus verberans* et saepe.

b. **terga**[2]) (~ νῶτα Hom.). Primus Cicero[3]) Arat. pps adhibuisse videtur: 152 *ad Pistricis terga*; 216 *ad terga*

[1]) Contr. X 3,13 cum edd. legendum est „summissioribus verbis“ [„summissionibus“ AB, „summissis oribus“ Dτ, „verbis“ om. VD].

[2]) Bednara 550. Maas 533–539. Slotty 13. 41. 44. 45. 48. Landgraf 73. Appel 24. Spitta 21–22. Overholthaus 6. Hailer 14 sq.

[3]) Maas 537.

Nepai. Inde pluralis saepe pro singulari usurpatur a Catullo,[1]) Vergilio,[2]) Ovidio,[1]) ceteris poetis, qui eorum temporibus florebant. Caesar sens. plurat. pluralem ponit b. c. I 45,1 *hostem ... terga vertere ... cogit*, b. c. II 34,6 *omnis Vari acies terga vertit ....* Quibus locis non poetica cum licentia pluralem „terga“ adhibitum esse, quia subiectum enuntiatorum nomen collectivum est, nemo negaverit. Eodem modo et Cicero hac voce utitur. Velleius Paterculus semper singularem exhibet: II 1,5 *ut ... post tergum relegatis manibus dederetur hostibus*; II 109,3 *a tergo sedium suarum*. Neque Valerius Maximus a cotidiano huius vocis usu deflectit: pluralem sens. plur. ponit VII 4,1 *eumque ... invasurum Fidenatium terga*; IX 3,5 (ira) *exercitum ... terga hosti ... dare coegit*; singularis extat I 8,8 *perterritus tergum hosti dedit*; II 7,2 *cuius* (hostis) *tergum ... videre* etc. Seneca rhetor sens. plur. pluralem adhibet contr. I 1,5 *dederunt victis terga victores*; X 1,4 *magistratus post terga sua non summovent*. Sed pps usurpat contr. II 1,7 *Croesus ... post terga vinctis manibus ductus est* (cf. Verg. Aen. 2,57 *ecce manus iuvenem interea post terga revinctum / pastores ... trahebant*); IX 2,10 *noxio post terga deligantur manus*. Seneca philos. et singularem (ep. 32,3; 121,8 etc.) et pluralem sens. plur. positum (ep. 13,8) adhibet, sed etiam pps: ep. 22,8 (vir bonus) *non vertet terga*. Petronius pluralem non nisi sens. plur. in oratione soluta exhibet: 73,4 *conabantur ... posito genu cervices post terga flectere*. [Contra in hex. pps admittit 123 v. 244 „ut Fortuna levis Magni quoque terga videret“.] Apud Tacitum pluralem poeticum scriptum non vides; nam IV 66,8 *Germani ... terga Labeonis invasere*, quo loco Landgraf pluralem poeticum intellegi vult, nos quidem Tacitum eodem modo ac Caesarem, Ciceronem etc. pluralem sens. plur. adhibuisse pro certo habemus, quia hoc loco vox „Labeo“ sine dubio

[1]) Bednara 550.

[2]) Spitta 21–22.

posita est pro „exercitus Labeonis" neque dicere Tacitus voluit Germanos invasisse tergum Labeonis ipsius, sed terga exercitus Labeonis. Idem pluralis sens. plur. adhibitus extat IV 33,9 *eques . . . terga in suos vertit*; 2,25,7 *alii . . . terga* (scil. „hostis", quod h. l. idem valet atque „hostium") *circumgressi* et saepe.

c. **sinus**[1]) (∼ κόλποι Hom.[2]). Catullus plurali sens. plur. utitur 61,53. Primum[3]) pps extat apud Tibullum I 8,36 *et teneros conserit usque sinus*; I 3,6 *non hic mihi mater / quae legat in maestos ossa perusta sinus* etc. Singularis saepe obvius I 3,38 *(non) effusum ventis praebueratque sinum* etc. Vergilius pps: Aen. 1,320 *nodoque sinus collecta fluentis* et ib. 11,775; singularem adhibet Aen. 4,30 *sic effata sinum lacrimis implevit obortis* etc. Ovidius pps saepe usurpat. Apud Caesarem haec vox semel occurrit denotatque „Meerbusen": b. c. II 32,11 *ex portu sinuque*. Cicero solum singularem adhibet leg. II 63 *ut sinus et gremium quasi matris mortuo tribueretur*; Tusc. V 5 *cuius* (philosophiae) *in sinum*. Apud Velleium Paterculum hic pps non legitur. Valerius Maximus semper singulari utitur: II 7,6 (p. 85,10) *sinu atque osculis*; III 7,5 *e sinu inimicorum* etc. Seneca rhetor pps: contr. IX 6,4 *quid ad sinus meos refugisti?*; singulari utitur contr. IX 6,19 *nusquam a sinu meo dimisi puellam*; X praef. 13 *permittite mihi et aliquos, quos non nostis, e sinu proferre*; II 4,2 *recepi in sinum nepotem*. Seneca philosophus singularem adhibet: ep. 20,10 *divitias in sinu positas*; 103,4 etc. Petronius singulari utitur: 131,4 *illa de sinu licium protulit*; 24,7 *mox manum etiam demisit in sinum* et saepe. Item Tacitus solum singularem exhibet ea vi quae est „Busen, Schooß": D. 28,15 *suus cuique filius . . . . non in cella emptae nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur*; III 10,20 *opposuit sinum* (= Brust) *Antonius stricto ferro* etc.

[1]) Bednara 563. Spitta 9. Hailer 14 sq. Braumüller 12.
[2]) Witte 19. 78. 237. [3]) Maas 541.

d. **capilli.**[1]) [Charisius[2]) I 104,20 (ed. Keil I) *capillum priores singulariter dicebant sicut barbam; nam Varro epistularum III negabat pluraliter dici debere.*] Plautus solum singularem (8-ies) novit. Lucilius primus pluralem exhibet, sed sens. plur. 955 *capillos scindunt*. Primum pps legitur apud Ciceronem: Pis. 25 *erant illi compti capilli et madentes cincinnorum fimbriae*; ceteris (12) locis singulari utitur: Verr. II 62 *sordidati maxima barba et capillo* etc. Catullus solum singularem adhibet (bis): 64,193 *Eumenides, quibus anguino redimita capillo / frons*; 25,1. Vergilius semel pps: Aen. X 832 *sanguine turpantem comptos de more capillos*; idem semel singulari utitur eodem sensu: Ge. I 405 *et pro purpureo poenas dat Scylla capillo*. Horatius, Tibullus, Propertius, Ovidius multo saepius pps adhibent quam singularem. Varro (14ies) et Caesar [bis: b. G. VII 48,3; V 14,3 (utroque loco agitur de capillo complurium)] semper singularem ponunt. Quomodo Cicero hac voce usus sit, iam supra demonstravi. Livius pps (bis): 1,24,6 *caput capillosque tangens*; 2,23,4 *promissa barba et capilli*; singularem quater exhibet: 6,16,4 *multos mortales capillum ac barbam promisisse*; 26,34,5; 34,19,7; 32,1,10. Velleius Paterculus (ut Sallustius) hac voce non usus est. Valerius Maximus pps ter: IV 6 ext. 2 (Hypsicratea regina) *tonsis . . . capillis*; IX 3 ext. 4 *nec* (Samiramis) *prius decorem capillorum in ordinem . . . redegit*; IX 12 ext. 2 *erat enim* (caput Aeschyli) *capillis vacuum*. Singularis bis extat: I 7,7 *hominem . . . squalidum barba et capillo inmisso*; IX 13 ext. 4 (Dionysius filias suas) *instituit ut . . . barbam sibi et capillum adurerent*. Pluralis sens plurat semel extat: II 1,5 *capillos cinere rutilarunt*. Seneca rhetor pps: contr. II 4,1 (meretrix) *laniatis capillis*; singularis: contr IX 4,19 *mos autem est barbam et capillum magistratui Cretensium summittere*; contr. I praef. 8

[1]) Maas 533 n. Thes. l. l. s. v.
[2]) Neue I 654.

capillum frangere. Seneca philosophus pps: dial. III 19,4 *quid* (opus est) *capillos avellere?* Pluralis sens. plur. extat ep. 95,20; 95,24; singularis: ep. 124,22 *quid capillum ingenti diligentia comis*; 92,34; nat. quaest. I 17,7. Petronius pluralem sens. plur. saepe adhibet: 107,12 *deposuerunt capillos*; 105,2 *nocentes horridos longosque habebant capillos* etc.; idem saepe pps: 104,5 *audio enim non licere cuiquam mortalium in nave neque ungues neque capillos deponere*; 105,1 *itane . . . capillos aliquis in nave praecidit?*; 38,12 *non puto illum capillos liberos habere*; 18,4 *descendentes ab aure capillos meos lenta manu duxit*; 126,15 *quae* (frons) *radices capillorum retro flexerat.* Singularis apud Petronium non extat. [In hexametro pps: frg. 38 v. 3: „cum me saevus Amor prensum vulsumque capillis | excitat."] — Tacitus solum singularem (bis) adhibet: G. 38,9 *capillum retorquent*; 4,57,10 *nudus capillo vertex* (Tiberii).

barbae.[1]) Plautus, Lucilius, Catullus solum singularem noverunt. Vergilius pluralem adhibet, sed sens. plurat: Ge. 3,311 *barbas incanaque menta / Cinyphii tondent hirci*, (quo loco *hirci* sens. collect. pro *hircorum* positum est[2]); Ge. 3,366; singularem scriptum vides B. 1,28 *candidior postquam tondenti barba cadebat*; Aen. 3,593. Horatius, Tibullus, Ovidius solum singularem exhibent. Caesar hac voce omnino non usus est. Cicero (Verr. II 62; fin. III 18 etc.) et Livius (44,19,7 (legati) *sordidati barba et capillo promisso*) semper singularem usurpant, etiam de compluribus. Apud Velleium Paterculum (et Curtium Rufum) haec vox non legitur. Valerius Maximus semper singularem ponit: I 1 ext. 3 *Aesculapio barbam auream demi iussit*; I 7,7 *hominem squalidum barba*; III 2,7 *barbam . . . permulcenti Gallo.* Nec minus Seneca rhetor solo singulari utitur: contr. I 1,8 *venit immissa barba capilloque deformi*; X 1,2 *barba demissa* et Seneca philosophus: ep. 48,7

[1]) Neue I 652. Thes. s. v. Spitta 25.

[2]) Maas 533 n., quem secutus errare puto Thesaurum II. I. 1722,46, qui hoc loco pps intellegi vult.

in hoc barbam demisimus? 77,18; 92,34 et saepe. Petronius pps: 99,5 *stetitque in limine barbis horrentibus naută*, ubi certe clausula multum valuit ad pps gignendum. Nam ceteris locis semper singulari utitur: 102,15 *num quid et barbam peregrina ratione figurare* (possumus)?; 58,6 *licet barbam auream habeas*; 29,8. — Tacitus solum singularem novit: 2,39,9 *donec crinem barbamque promitteret*; de compluribus: G. 31,3 *crinem barbamque submittere.*

III.
Instrumenta.

a. Initium huius partis faciant nonnulli pps, qui domum vel sedem aliquam aut domus partem significant.

sedes[1]) (∼ ἕδη[2]) Hom., vel ∼ aedes). Cum de aedibus unius hominis agebatur, singularem huius vocis Romani ponere solebant. Tamen pluralis pro singulari iam apud Liv. Andronicum[3]) et in epigrammate saturnio saeculi septimi[3]) obvius est. Catullus[3]) saepe pps adhibet. Vergilius[4]) pps: Aen. 2,232 *ducendum ad sedes simulacrum orandaque divae / numina conclamant*; 7,175 *hac sacris sedes epulis*; 7,775 *at Trivia Hippolytum secretis alma recondit / sedibus.* Saepe apud Ovidium pps legitur. Caesar pluralem non nisi sens. plurat. posuit, etiam b. G. I 44,2 *sedes* (Ariovistum) *habere in Gallia ab ipsis concessas*, quoniam hoc loco Ariovistum non de sua sede (i. e. de sua domo), sed de sedibus gentis suae agere in aperto est. Cicero pps admisit Pis. 52 *ipsa Roma prope convolsa sedibus suis.* Velleius Paterculus poetica cum licentia hac voce non usus est; singularis extat I 2,4 *Orestis liberi . . . sedem cepere circa Lesbum insulam*; II 32,5 *reliquias eorum* (i. e.

[1]) Bednara 554. Slotty 17—18. Spitta 27—28.

[2]) Witte 87. 259 sq.

[3]) Bednara 554.

[4]) Spitta 27—28 plura exempla contulit.

piratarum) ... *in certa sede constituit*; pluralis positus est sens. plur. I 3,1 *Achaei ... eas occupavere sedes*; II 108,1 *quae* (gens) ... *excita sedibus suis*; II 109,3 *cum* (Maroboduus) ... *a tergo sedium suarum haberet Noricos* etc. Valerius Maximus pluralem sens. plur. adhibet IV 1 ext. 4 *populum Atheniensem ... sedes suas relinquere coactum* etc.; pps extat III 4,5 *patrem illius, nihil ad se pertinentia civis Romani iura complexum Sabelli iudicio petitum redire in pristinas sedes coegerunt*; singularem saepe scriptum vides: I 5,4 *libenter tibi mea sede cedo* etc., etiam I 6,6 *signiferis negantibus signa moveri sua sede posse*. Seneca rhetor[1]) pps: suas. 6,6 *animus ... onerosi corporis vinculis exsolutus ad sedes suas et cognata sidera recurret*.[2]) Contra singulari utitur contr. IX 1,8 *emissusque sede sua Miltiades*. Seneca philos. pps non exhibet, singularem saepe ponit: ep 87,4; 121,12 etc. Petronius in oratione soluta hac voce non usus est. [In carminibus pluralem semper sens. plur. adhibet 120 v. 87 „aedificant auro sedesque ad sidera mittunt" etc.] Tacitus pps ponit D. 12,6 *secedit animus in loca pura ... fruiturque sēdĭbūs sacrīs* fort. propter clausulam. Contra singulari usus est IV 82,1 *cupido adeundi sacram sedem* (scil. Serapis) et saepius.

templa[3]) de uno templo. Ennius, Plautus, Catullus pluralem admiserunt sensu translato pro regno vel pro caelo. Primus Vergilius pps: Aen. 3,84 *templa dei saxo venerabar structa vetusto* (de uno Apollinis templo); 6,41 *Teucros vocat alta in templa sacerdos* et saepe. Ovidius pps: Pont. IV 4,29 *templaque Tarpeiae primum tibi sedis adiri* (de templo Capitolino); a. a. 1,77 *Memphitica templa* et saepe. Neque Caesar hac poetica licentia usus est

[1]) Contr. II 1,11 Schott recte coniecit „aedes ipsas" [codd. „sedes ipsas"].

[2]) Fortasse et pluralis qui sequitur „sidera" ad pluralem „sedes" progignendum multum valuit.

[3]) Maas 480. Bednara 550. Slotty 19. 20. Skutsch RE V 2626. Landgraf 73. Spitta 9. Hailer 17. Keller 206. Norden 400.

neque Cicero, qui nisi illo sensu translato, de quo supra diximus, pluralem non adhibet (rep. VI 24 *cum Romuli animus haec ipsa in templa penetravit*). Livius pps admisit 5,16,11 (ubi oraculi Delphici responsum profert) *bello perfecto donum amplum victor ad mea templa portato*; quem pluralem fortasse iam in Graecis oraculi Delphici verbis extitisse Landgraf l. l. coniecit; 29,18,16 *deam sua templa defensuram*, de quo templo paulo ante singularis obvius est *quia extra urbem templum est*. Velleius Paterculus singulari utitur II 81,3 *templum ... Apollinis ... facturum promisit*. Valerius Maximus singularem ponit I 8,2 *in templum Aesculapii*, paulo post *Antiensis templi hospitio usus*; I 8 ext. 18 *in templo Iunonis* etc.; pluralis sens. plur. extat: I 6,13 *tuas aras tuaque sanctissima templa, dive Iuli, veneratus* etc. Eodem modo Seneca rhetor, Seneca phil., Petronius hac voce usi sunt. Tacitus pps: V 5,22 *nulla simulacra ... templis sistunt* de uno Iudaeorum templo, de quo scriptum vides paulo post (24) *vitisque aurea templo reperta*.

tabernacula (~ κλισίαι, σκηναί Hom., vel ~ aedes). Apud poetas dactylicos haec vox non legitur utpote quae a metro dactylico valde abhorreat. Caesar, Cicero, Livius pluralem non nisi sens. plurat. adhibent. Velleius Paterculus singulari utitur II 71,3 *se ipse in tabernaculo interemit*. Valerius Maximus pluralem sens. plur. ponit IX 1 ext. 4 *exercitus ... tabernacula textilibus sigillis adornata statuit*; singularis saepius extat: I 1,3 *vitio tabernaculum captum comitiis consularibus*; I 8,2 *ubi Q. Ogulni legati tabernaculum erat*; V 1,2 *e tabernaculo suo*; V 1,8 *in tabernaculum*. Apud Senecam rhetorem hanc vocem non inveni. Seneca phil. singularem adhibet ep. 77,9 *in ipso cubiculo poni tabernaculum iussit*. Petronius hac voce non usus est. Tacitus plur. adhibet de uno tabernaculo II 29,5 *tabernacula ducis ... rimabantur* (sic cod. M, Halm, Her., Meiser, Müller, Wolff; Nipp. et Gantrelle sing. habent. Lex. Tac. recte cod. secutum pluralem praebet).

tecta (~ *μέλαθρα, στέγαι* Hom.). Primus[1]) Ennius pps adhibet: sc. 95. Plautus semper singularem exhibet. Catullus,[2]) Vergilius, Ovidius saepe pps. Caesar sens. plur. plurali utitur b. c. I 28,2 *vulgo ex tectis significabant* (Brundisini); singularis $7^{\text{-ies}}$ extat: b. G. I 36,7 *qui* (Germani) *inter annos XIV tectum non subissent* etc. Cicero sens. plur. dixit har. resp. 3 *qui . . . ea . . . meis omnibus tectis atque agris intulerunt*; Deiot. 14 *ille exercitum Cn. Domitii . . . suis tectis* (= tectis regni sui) *et copiis sustentavit* etc.; concinnitatis causa: dom. 60 *qui parietibus, qui tectis, qui columnis ac postibus meis hostificum . . . bellum intulistis*; 146 *non me bonorum direptio, non tectorum excisio, non depopulatio praediorum . . . permovet* (de una domo in Palatio sita); sed certo pps rep. IV 9 *grates . . . tibi ago, . . . quod conspicio in meo regno et his tectis P. Cornelium Scipionem* (de domo Masinissae). Livius[3]) 4,15,8 sens. plur. pluralem ponit. Velleius Paterculus pps non admisit. Valerius Maximus pluralem exhibet sens. plur. III 2 ext. 7 *ardentibus tectis* (scil. vici); IV 8 ext. 2 *hospites . . . cum urbanis penatibus tum . . . rusticis tectis . . excepti*; pps: I 5,6 *avertit enim oculos ab illis tectis*; de eadem re scriptum vides paulo ante: *conspexit . . . aedificium*; singularis obvius: I 4 ext. 2 *abstinuit se ab eius tecti usu.* pps non extat apud Senecam rhetorem (pluralis sens. plur. contr. II 1,11), Petronium [in carminibus hex. pluralem non nisi sens. plur. adhibet], Tacitum. Seneca philos. autem pps adhibet ep. 83,21 *tecta ipsa mobilia velut aliquo turbine circumagente totam domum*; singularis saepe extat.

b. **monimenta**[4]) Catullus sens. plur. pluralem 11,10 et 95,9, singularem omnino non adhibet. Vergilius pps:

[1]) Bednara 549. Errat Slotty 49 qui demum a Lucretio pps adhibitum esse putat.

[2]) Bednara 549. Slotty 18. 41. 44—46. 49. Landgraf 72. Spitta 9. 28—29. Braumüller 11. 20. Overholthaus 5. [3]) Landgraf 72.

[4]) Maas 480. Norden 128. Spitta 12. Hailer 17.

Aen. 12,945 *ille oculis postquam saevi monimenta doloris / exuviasque hausit* (= *balteum* v. 941—942). Propertius pps: IV 10,59 *victi monimenta Syphacis*; V 7,43 *tulit ad monimenta coronas* (de Cynthiae monimento agitur). Ovidius pps: met. 13,524 *condeturque tuum monumentis corpus avitis* (= Grabmal). Caesar eo sensu plurali non utitur. Cicero de via Appia scripsit Mil. 17 *in monumentis maiorum suorum* (i. e. Clodii). Velleius Paterculus pluralem sens. plur. ponit I 11,5 *primus omnium Romae aedem ex marmore in iis ipsis monimentis* [quae paulo ante Vell. Pat. commemoravit] *molitus*; II 43,4 *restituta . . . monumenta C. Marii* (= *tropaea C. Marii de Jugurtha deque Cimbris atque Teutonis, olim a Sulla disiecta* [Suet. Caes. 11]); singulari utitur I 12,5 *fecitque suae virtutis monumentum.* Valerius Maximus et singularem et pluralem sens. plur. positum saepe exhibet: II 5,6 *in area Marianorum monumentorum*; IV 4,8 *eodem loci, quo nunc sunt Mariana monumenta*[1]) etc. Seneca rhetor pluralem sens. plur. ponit contr. X praef. 7 *in monumenta se maiorum suorum ferri iussit* etc.; singularem apud eum scriptum non vidi. Neque apud Senecam philosophum (plur. sens. plur. ep. 91,16; sing. ep. 77,20) neque apud Petronium (plur. sens. plurat.: 65,5 *lapidarius, qui videtur monumenta optime facere*; 111,6 *inter monumenta*; singularis: 71,5 *aedificas monumentum meum?* etc.) pps extat. Tacitus saepe pps: 3,23,3 *cuius* (Pompei) *ea monimenta* (de uno monimento); 4,7,9 *in monumentis Cn. Pompei*; 3,72,2 *basilica Pauli, Aemilia monimenta*; 2,22,3 *ea monimenta* (de *congerie armorum* [2,22,1]); 11,10,10 *exstructis monimentis.* Singularem Tacitus omnino non usurpavit, sed ceteris omnibus locis de compluribus monimentis agit.

[1]) Cicero de eadem re singulari utitur divin. I 59; sed cf. Jordan, Topographie der Stadt Rom II 520. Gilbert, Geschichte u. Topographie der Stadt Rom, III 98 n. 3.

c. **vestes.**[1]) Primus Lucretius plurali usus est. Vergilius pluralem de compluribus stragulis adhibet Aen. 1,639 *arte laboratae vestes*; eodem autem sensu singularem ponit Aen. 2,765 *captivaque vestis / congeritur*. Ovidius saepe pps usurpavit. Caesar et Cicero solum singularem exhibent etiam de compluribus, velut Cicero Lael. 55 *equos, famulos, vestem egregiam, vasa pretiosa* et saepe. Item solum singularem noverunt Velleius Paterculus (II 19,4; 41,2), Valerius Maximus (V 1 ext. 5 *militibus vestem, arma, equos . . . praestando* et saepius), Seneca rhetor (contr. II 7,4 (feminae) *paulo obscurius quam posita veste nudae*; X 1,9). Seneca philosophus autem pps: ben. VII 9,5 *video sericas vestes, si vestes vocandae sunt, in quibus . . .*; VII 20,2 *si marmora et vestes desideraverit* etc.; singularis saepe extat: ep. 122,7 *qui commutant cum feminis vestem*; 90,45 *nondum vestis illis erat picta* etc. Petronius plurali utitur: 102,12 *vestes . . . diutius vinctas ruga consumit* et 102,16 *praeligemus vestibus capita*; singulari persaepe [et in carminibus]. Tacitus saepe pluralem adhibet: D. 26,5 *melius est orationem vel hirta toga induere, quam fucatis et meretriciis vestibus insignire*; G. 40,16 *mox vehiculum et vestes et . . . numen ipsum secreto lacu abluitur* (de eadem re scriptum vides G. 40,9 *vehiculum veste contectum*); 3,53,18 *promiscas viris et feminis vestes*; 16,10,12 *cruentamque cervicem eius amplexa servabat sanguinem et vestes respersas*. Multa alia pluralis exempla extant; contra et singularis persaepe occurrit: II 89,9 *primi centurionum candida veste . . . armis donisque fulgentes* etc.

d. **gubernacula.** Sensu translato pro „regimen (imperii)" apud Ciceronem etc. semper pluralis extat, proprio autem sensu singularis. Catullus, Tibullus, Ovidius hac voce omnino non usi sunt. Vergilius solum singularem per syncopen „gubernaclum" adhibet: Aen. 5,176 *ipse gubernaclo rector subit*; 859; 6,349. Caesar hanc vocem non exhibet. Cicero sens. transl. plurali videtur usus esse rep. I 11 *mihi mirum videri solet, quod qui tranquillo mari gubernare se negent posse, . . . iidem ad gubernacula se accessuros profiteantur excitatis maximis fluctibus* (agitur sine dubio de gubernaculis rei publicae, ut verba sequentia docent); sed pps: rep. I 51 *tam cito evertetur quam navis, si e vectoribus sorte ductus ad gubernacula accesserit.* Velleius Paterculus singularem etiam sensu illo translato exhibet II 113,2 *cum eum* (exercitum) *maiorem . . . neque habilem gubernaculo cerneret*; fortasse igitur singularis poeticus intellegendus est. Valerius Maximus plural. sens. transl.: VII 6,1 (p. 354,20) *imperii sui gubernacula e manibus abiecit* (senatus). Neque apud Senecam rhetorem neque apud Senecam philos. (plural. sens. plur. ep 90,24) pps extat. Petronius pps: 102,4 *per puppim, per ipsa gubernacula delabendum est*; 114,13 *non arbor erat relicta, non gubernacula, non funis aut remus.* Singulari non utitur. Tacitus pps: 14,5,4 *Creperius Gallus haud procul gubernaculis astabat.* Sens. plurat. 2,6,6 *adpositis utrimque gubernaculis*; singularis non extat.

e. **epistulae**[1]) (~litterae). Apud poetas et scriptores aureae latinitatis huius vocis pluralis pro singulari non occurrit. Contra poetae pro plurali, qui a versu dactylico abhorret, singularem ponunt, ita ut singularis poeticus[2]) nonnullis locis agnoscendus sit. Scriptores argentei autem pluralem de una epistula usurpant eumque primus fortasse Velleius Paterculus[3]) II 42,3 *priusquam de ea re ulli proconsulis redderentur epistulae*; II 117,1 *funestae ex Germania epistulae caesi Vari . . . nuntium attulerunt*; sed diiudicari non potest, an re vera de una tantum epistula agatur; sens. plur. pluralis positus est II 65,1 *inter eum*

[1]) Maas 519. 528. Bednara 554. Marx ad Luc. II p. 115 n.

[1]) Neue I 685—686. Sirker 16.
[2]) Landgraf 68.
[3]) Gudeman ad Agr. 39,2.

Caesaremque et Antonium commercia epistolarum; singularem omnino non inveni. Valerius Maximus solum singularem adhibet: IV 2,7 *recitavit etiam eius epistulam*; VII 2 ext. 10; IX 2 ext. 3. Seneca rhetor et singulari et plurali sens. plur. utitur, sed etiam pps: contr. I 7,3 *cedo mihi epistulas patris. quaeris unde habeam, cum mihi nullas miseris?*; paulo post *epistulas lege*; I 7,16 *post epistulas illas, quas accusat*; de eadem re singularem scriptum vides I 7 praef. *pater piratis epistulam scripsit* et I 7,1 *da mihi epistulam esurientis istius.* Seneca phil. utrum pps admiserit ep. 3,1 et 106,1, an de multis epistulis eis locis egerit, in medio relinquam. Petronius hac voce omnino non usus est. Tacitus pluralem pro singulari posuit semel in libro „de Agricolae vita ac moribus" (A. 39,2), saepe in „historiarum" libris, in „annalibus" non nisi in primis tribus libris[1] (1,30,11; 2,78,2; 3,59,5)[2]; in „dialogo" et in „Germania" pluralis eo sensu obvius non est. Singularis de una epistula saepe extat. Eodem sensu, ac Tacitus, et Plinius minor pluralem exhibet Gudeman (l. l.).

IV.
Loca vel regiones.

a. Saepe ei plurales poetica cum licentia usurpati sunt, qui mare eiusque partes significant.

maria[3]) (∼ πελάγη Hom.)[4]). Catullus pps: 63,1 et 63,48 de mari Aegaeo; singulari saepius utitur 63,40; 64,155,269 etc. Vergilius pps: Aen 3,70 *inde ubi prima fides pelago, placataque venti / dant maria et lenis crepitans vocat auster in altum* etc.; singularis persaepe

[1]) Wölfflin, Phil. 26,152 sq.
[2]) Lex. Tac. 352[2].
[3]) Maas 523 n. 3. 525 n.
[4]) Maas 7. 87. 244 sq. 254.

extat. Inde pps raro obvius: Ovidius semel plurali utitur eoque sens. plur. Pont. IV 11,16 *dum littera nostra recurrens / tot maria ac terras permeat*; singularis persaepe. Caesar solum singularem novit, quem multis locis adhibet. Cicero singulari et plurali sens. plurat. adhibito saepe utitur; digna sunt quae memorentur omnia ea exempla, quae iuxta singularem *terram* (= terram continentem) pluralem *maria* (sine dubio de compluribus vel potius omnibus maribus) praebent: Sex. Rosc. 131 *cuius nutu . . . terra mariaque reguntur*; nat. deor. III 93 *caelum versantem, terram tuentem, maria moderantem* etc. Velleius Paterculus solum singularem adhibet: II 33,4 *ob iniectas molis mari et receptum suffossis montibus in terras mare*; II 73,3; 32,4 etc. Valerius Maximus plurali non nisi sens. plur. utitur: V 3,5 *omnes terras et omnia maria*; IX 1,1 *peculiaria sibi maria excogitavit*; singularis persaepe obvius. Seneca rhetor pps: contr. II 1,13 *non maria umquam ex colle vidisse lenta aut hiberna*; VII 1,8 *certe sentiam maria, non et videbo*; VII 1,23 *parricidam tamen in mărĭă proiecĭ* etc; singularem quoque saepe exhibet: VII 1,4 *expectat . . . parrĭcidam mărĕ* etc. Seneca philos. pps: ep. 14,8 *id* (litus), *a quo propior Charybdis mărĭă cōnvolvĭt*; fort. et ep. 86,8 *nunc blattaria vocant balnea, . . . nisi ex solio agros ac mărĭă prospĭcĭūnt*; singularis et pluralis sens. plur. positus saepe extat. Petronius pps: 109,7 *pinnasque per maria inanis spuma torquebat*; singularis saepe obvius est [quem solum adhibet in carminibus]. Tacitus solo singulari utitur.

litora[1]) (∼ ἀκταί Hom.). pps iam apud Ennium legitur ann. 389 *litora lata sonant* et saepius. Catulli et Ovidii exempla multa Bednara contulit, Vergilii permulta Spitta et Keller. Caesar de compluribus litoribus pluralem summo

[1]) Maas 497 n. Bednara 558. Slotty 16—17. 40—41. 45. 49. Norden 114. Spitta 29—32. Keller 209. Appel 27 n. 71. Riemann 39. Witte 32. 74. 257 sqq.

iure saepe posuit; idem autem scripsit b. c. II 43,4 *tanta erat completis litoribus contentio* (de uno litore, in quo castra posita sunt) et b. c. II 26,4 (equitatus) *se per litora celeriter in oppidum recepit* (sed agitur de uno tantum litore maris). Cicero pluralem semper sens. plur. adhibet. Livius pluralem posuit 22,1,8 *litora* (Sardiniae) *crebris ignibus fulsisse* fort. sens. plur. (ut nos quoque = Ost- und Westküste); certe autem pps 2,34,3 *in Etruriam . . . dextris ab Ostia litoribus*. Apud Velleium Paterculum pps non legitur. Valerius Maximus pps: I 1 ext. 1 *vicinis deae litoribus inlisus est*. Singularis (I 5,6 *in litore*; I 7 ext. 3 *ad litus* etc.) et pluralis sens. plur. usurpatus (V 6 ext. 4 *cunctis litoribus* etc., fortasse etiam VIII 7 ext. 1 (Demosthenes) *vadosis litoribus insistens declamationes fluctuum fragoribus obluctantibus edebat*, quia de actione iterata agitur) saepe extat. Seneca quoque rhetor plurali non nisi sens. plur. utitur: contr. II 1,13; suas. 1,2; 1,4 etc. Sic etiam suas. 1,1 pluralem sens. plur. positum puto esse: *aiunt fertiles in Oceano iacere terras ultraque Oceanum rursus alia litora, alium nasci orbem, nec usquam rerum naturam desinere*. Singularis saepe. Seneca philosophus pps: ben. IV 38,2 *si Philippus possessorem illum eorum litorum reliquisset, quae naufragio ceperat* = dominum possessionum in litore sitarum; singularis de eodem litore IV 37,4 *in id, in quo iacuerat ipse, litus*. Singularis et pluralis sens. plur. positus saepius extat. Petronius in oratione soluta solum singularem adhibet [pps in hex.: 119 v. 34 „atque Lucrinis eruta itoribus . . . conchylia"; 123 v. 236 „alter . . . tranquillaque litora quaerit"; singularis 119 v. 37 „mutoque in litore"]. Tacitus saepe pps: 14,4,6 *venientem* (Agrippinam) *dehinc obvius in litora* (Antii) . . . *excepit manu*, de quo litore paulo post singulari utitur 14,8,2 *decurrere ad litus*; de eodem litore iterum pluralis legitur 14,10,12. Porro 3,1,2 *Corcyram insulam advehitur, litora Calabriae contra sitam*; 3,59,10 *litora . . . Campaniae*; 14,25,9 *eos . . . ad litora maris rubri deduxit* (certe de uno litore agitur); 15,46,9 *Cumanis litoribus inpacti* et saepius.

sinus (= Meeresbusen). Apud Catullum, Vergilium[1]), Tibullum, Ovidium hoc sensu pluralem poeticum scriptum non vidi. Caesar singulari utitur b. c. II 32,11 *ex portu sinuque*. Cicero pluralem semper sens. plur. adhibet: rep. I 5 *Themistoclem . . . non in Graeciae portus . . ., sed in barbariae sinus confugisse*; III 43 *portus* (Syracusarum) *usque in sinus oppidi et ad urbis crepidines infusi* etc. Velleius Paterculus plurali sens. plur. utitur II 106,3 *classis, quae Oceani circumnavigaverat sinus*. Apud Valerium Maximum (II 8 *disciplina militaris . . . fauces Pontici sinus patefecit*; IV 6 ext. 3), Senecam rhetorem (sed quod ad denotationem „Busen, Schooß" cf. quae exposui p. 22), Senecam philosophum pps non extat. Apud Petronium haec vox in prosa semper denotat „Busen, Schooß". [In hex. autem pps: 121 v. 115 „(cerno) Actiacosque sinus et Apollinis arma timentes."] Silius Italicus pps: 15,300 *Ambraciosque sinus Olpaeaque litora bello / perfudit rapido* (metro cogente). Tacitus pps: 2,53,6 *sinus Actiaca victoria inclutos . . . adiit* (i. e. sinum Ambracium); fort. sens. plur. positus est pluralis 14,9,7 *quae* (villa) *subiectos sinus editissima prospectat*. Singularis persaepe obvius.

ostia.[2]) Vergilius saepe pluralem adhibet, ubi prosa singularem posuisset, velut Ge. 4,467; Aen. 8,667 *alta ostia Ditis* (de aditu Tartari); 1,14 *Karthago, Italiam contra Tiberinaque longe / ostia*. Item Ovidius: met. 15,728 *donec Castrumque sacrasque / Lavini sedes Tiberinaque ad ostia venit*. Caesar plurali semper sens. plur. utitur. Cicero pluralem semper summo iure adhibet semperque dicit *ostium Tiberis*: rep. II 5 *ut . . . in ostio Tiberino . . . urbem ipse conderet*; II 33 *ad ostium Tiberis urbem condidit*. Apud Velleium Paterculum hunc pps non legi. Valerius Maximus (VIII 1 abs. 13), Seneca rhetor (contr. X 1,13), Seneca philos. (ep. 12,3; 26,10; 43,4

[1]) Vergilius Aen. 3,689 et 8,712 (quos locos Spitta 9. 10 affert) pluralem certe sens. plur. ponit.

[2]) Slotty 18.

etc.), Petronius (persaepe) semper singularem exhibent. Tacitus Vergilium et Ovidium secutus pps: 15,42,8 *ab lacu Averno . . . fossam usque ad ostia Tiberina depressuros promiserant*; contra sing. posuit III 48,5 *in ostio fluminis Chobi*.

b. **terrae.**[1]) Certi aliquid de hac voce dicere haud facile est propter varias huius vocis significationes. Nam hac voce significatur 1. terra universa quam vernaculo sermone dicimus „Erde, Erdkörper", 2. terra continens, quae est mari contraria, a nobis simpliciter vocata „Land", 3. terra = sedes atque fines alicuius gentis (= „Land, Landschaft"), qua in denotatione nos quidem Germani tantum de finibus complurium gentium pluralem exhibemus; neque aliter res se habet apud Romanos in prosa a poesi nondum infecta. Ex re ipsa autem apparet Romanos omnes omnium gentium terras (= fines) colligentes etiam de terra universa (= de toto orbe terrarum) pluralem usurpare potuisse; itaque hunc pluralem non poetica cum licentia adhibitum esse nemo negabit. — Legitur hic numerus apud Caesarem: b. G. IV 7,5 *reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possint*; VI 14,6 *de mundi ac terrarum magnitudine* (i. q. de orbis terrarum magn.); saepe apud Ciceronem, Livium, ceteros.

Ubicumque autem pluralis positus est pro terra continenti aut pro finibus unius gentis, ibi pps agnoscendum esse mihi quidem persuasum est, praesertim cum Caesar eo sensu nunquam pluralem usurpet.

Catullus solum singularem adhibet, velut 39,17 *Celtiberia in terra* et saepius. Vergilius concinnitatis causa pluralem ponit Aen. 12,803 *terris agitare vel undis / Troianos potuisti*; certe pps: Ge. 4,117 *ni . . . terris festinem advertere proram*; Aen. 3,170 *Corythum terrasque requirat / Ausonias*; contra singularis extat: Aen. 4,349 *quae tandem Ausonia Teucros considere terra / invidia est?*; 7,10 *proxima Circaeae*

[1]) Appel 27 n. Hailer 7. Iacob 38.

raduntur litora terrae et saepius. Item Ovidius nonnunquam pps adhibet: met. 1,307 *quaesitisque diu terris, ubi sistere detur, / in mare lassatis volucris vaga decidit alis* (metro cogente); 14,243 *terris allabimur illis, / quas procul hinc cernis; procul est, mihi crede, videnda / insula visa mihi* (metr. cog.); 14,320 *Picus in Ausoniis, proles Saturnia, terris / rex fuit* etc.; contra singulari utitur met. 14,7 *quod litore pressum / Ausoniae Siculaeque tenent confinia terrae*. — De Caesariano huius vocis usu supra dixi. Cicero fortasse pps admisit eis locis, ubi pluralem adhibet de terra continenti; neque tamen rem diiudico, quia omnibus locis fortasse singulae terrae (= „Landschaften") intellegendae sunt, velut leg. I 61 *idem* (animus) . . . *quom caelum, terras, maria . . . perspexerit*; nat. deor. I 100 *cum ipsum mundum, cum eius membra, caelum, terras, maria . . . vidissent*; II 77 *qua* (necessitate) *caelum, maria, terrae regantur*. Multo saepius de eadem re singulari usus est, velut fin. V 92 *terram . . . ea lanx et maria deprimet* etc. Velleius Paterculus saepe singularem adhibet: II 27,4 *C. Marius . . . cum foramine e terra emersisset*; II 79,4 *legiones . . . expositae in terram*; II 129,3 *velut serpentem abstrusam terrae . . . coegit egredi* et saepe. Pluralis „terrae" i. e. „orbis terrarum" obvius est II 72,5 *ad quem et e Brutianis castris et ex Italia aliisque terrarum partibus . . . proscripti confluebant*. pps autem adhibitus est: II 33,4 *quem ob . . . receptum suffossis montibus in terras* (= terram continentem) *mare haud infacete Magnus Pompeius Xerxen togatum vocare assueverat*. Valerius Maximus pluralem pro „orbis terrarum" posuit I 7,2 *quam* (noctem) *is ultimam in terris egit*; saepius singularis extat: III 2,23 (p. 123,8) *inter undasne . . . an in terra*; III 2 ext. 3 *gravem illum et mari et terrae Xerxen*; II 4,5 (p. 71,25) *aram terra . . . obruit* etc. Seneca rhetor pluralem eodem sensu ac Cicero posuit contr. VII 1,25, *quidquid est . . ., quod terris imperat*; VII 2,6 *Pompeius terrarum marisque domitor*; certe pps: contr. II 1,13 *congestisque in alto terris exaggerant sinus*; contra singulari

utitur contr. X 1,13 *foveam ... terra superiecta obruit* et saepe. Item Seneca philosophus fort. de terra continenti pluralem adhibet ben. I 13,3 *terrarum marisque pacator* (Hercules); certe sens. plur. pluralis positus est: clem. I 1,2 *egone ... electus sum, qui in terris deorum vice fungerer?*; ben. IV 25,2 *vide ... quantis terras fructibus inpleant* etc.; sed pps: ep. 94,57 *nos et causas periculorum nostrorum et instrumenta disiecto terrarum pondere eruimus*; singularis saepe: ben. VI 15,6 *cum terra e conspectu recessit*; clem. I 3,5 etc. Petronius persaepe singularem usurpat: 44,1 *narratis quod nec ad caelum nec ad terram pertinet* etc.; pluralem sens. plur. adhibet: 83,4 (Iuppiter) *peccaturus in terris*; [in hexametro pluralis pro terra continenti obvius: 139 v. 7 „me quoque per terras, per cani Nereos aequor Hellespontiaci sequitur gravis ira Priapi"; singularis saepe]. Tacitum pps adhibuisse puto: V 2,12 *Hebraeasque terras*; 4,55,18 *Lydum patriis in terris* (= im Heimatlande) *resedisse*. Atque ut his locis dissentias a me, hoc certe in exemplo neque Caesarem neque Ciceronem pluralem scripturos fuisse concedes: 3,5,9 *corpus* (Germanici) ... *externis terris ... crematum*. Nam quamvis vehementer quis plurales illos Taciteos supra collatos defendat atque tueatur explicando nos quoque Germanos illis locis pluralem „Länder" usurpare posse — sed solum in prosa a poesi infecta vel potius ornata —, hoc loco nos quoque dicere debemus „in fremdem Lande" neque pluralem adhibere possumus.

c. Terminent hanc disputationis partem tres plurales, quibus quamquam per se substantiva abstracta sunt, interdum inest notio loci vel regionis:

ortus [1]) (∼ ἀντολαί Hom.) et **occasus** [2]) (∼ δυσμαί Aesch.). pps *ortus* iam apud Varronem r. r. et Lucretium extat. Catullus haec verba pluraliter elata non adhibet. Apud

[1]) Neue I 646–647. Bednara 563. Norden 200. Landgraf 73. Slotty 27. Spitta 36. Braumüller 13. Overholthaus 7.

[2]) Neue I 646. Maas 487. 494. Bednara 562.

Vergilium pps *ortus* invenitur (Ge. 4,277 *solis ad ortus*; Aen. 4,118 *ubi primos crastinus ortus / extulerit Titan* etc.), contra solum singularis *occasus*. Ovidius et pps *ortus* et pps *occasus* adhibet. Caesar utriusque vocis solo singulari usus est. Cicero sens. plur. pluralem *ortus* et *occasus* saepe ponit: nat. deor. II 153 *astrorum ortus* (acc.); II 95 *eorum* (astrorum) *omnium ortus et occasus* (acc.), divin. 2,92 etc. [1]). Apud Velleium Paterculum haec verba non inveni. Valerius Maximus et Seneca rhetor semper singulari utuntur. Seneca philosophus pps: ben. III 33,3 *Romani imperii sine aemulo ad ortus occasusque venturi defensor*; ep. 94,56 *ortus occasusque ... si conpares*; singularis utriusque vocis saepe extat. Petronius in oratione soluta neutra voce utitur. [In vers. hex. pps „ortus" extat frg. 27,3 „mox Phoebus ad ortus | ... devectus".] Tacitus vocem *ortus* non exhibet, vocem *occasus* non nisi singulariter positam: III 86,13; V 6,2.

regna. [2]) Primus Ennius pps admisit: ann. 141 *Marcus ... regna recepit*. Vergilius pps adhibet: Aen. 3,121 *pulsum regnis cessisse paternis / Idomenea ducem*; 7,217 *pulsi regnis*; 7,735 *Teleboum Capreas cum regna teneret* et saepius. Item Ovidius pps usurpavit. Caesar et Cicero pps non exhibent. Velleius Paterculus singulari utitur: II 68,4 *dum arguunt in eo regni voluntatem*. Valerius Maximus pps: IV 7,4 *Thesea ... Ditis se patris regnis commisisse*; singularis saepe extat. Apud Senecam rhetorem et Senecam philosophum pluralem poeticum scriptum non vidi. Petronius in oratione soluta hac voce non usus est. [In hexametris pps ponit: 120 v. 90 „an etiam mea regna petunt" (quae sunt verba Plutonis); de eadem re 120 v. 95 „nostris da funera regnis"; singularis extat de eadem re 124 v. 251 „Ditis petit inplacabile regnum."] Tacitus pps: V 2,5 *qua tempestate Saturnus vi Iovis pulsus cesserit regnis* (cf. supra Verg. Aen. 3,121); contra saepe singularem adhibet, velut 12,29,2 *pellitur regno* etc.

[1]) Neue I 646–647.

[2]) Bednara 547. Spitta 29. Appel 16. Landgraf 70. Keller 200. 206. Skutsch RE V 2626.

V.
Substantiva abstracta.

Persaepe substantiva abstracta poetica cum licentia pluraliter elata apud scriptores argenteae aetatis extant. Atque primum tractemus ea vocabula quae animi affectus denotant.

a. **fastidia.**[1]) Vergilius plur. fort. concinnitatis causa adhibet B. 2,15 *nonne fuit satius, tristis Amaryllides iras | atque superba pati fastidia?*; sed pps: B. 4,61 *matri longa decem tulerunt fastidia menses.* Horatius et Ovidius pps saepe usurpant. Caesar hac voce omnino non usus est. Cicero pluralem posuit de orat. I 258 *dixistique non tam ea quae recta essent probari, quam quae prava fastidiis ădhaerescĕrĕ*, fort. propter clausulam; sed pluralis fort. et sens. plur. positus est, quia, cum hanc sententiam legimus, statim post vocem *fastidiis* genetivum *hominum* mente supplemus. Singularem saepe adhibet: fin. I 10 *rerum domesticarum fastidium*; rep. I 48 *ex eorum fastidio et superbia* etc. Apud Velleium Paterculum hanc vocem non legi. Valerius Maximus solum singularem novit: VI 3 ext. 1 *externa summatim cognosse fastidio non sit*; IX 5 ext. 1 *fastidio enim Philippi Iovem Hammonem patrem ascivit.* Seneca rhetor singulari usus est contr. I 2,3 *nuda in litore stetit ad fastidium emptoris.* Seneca phil. semper singulari utitur: ep. 9,22; 17,4; 58,1 etc. Petronius singularem semel adhibet: 141,6 *si promiseris illi pro unius horae fastidio multorum bonorum pensationem.* [In carminibus haec vox non extat.] Tacitus pps ponit: 11,36,11 (Messalina) *paribus lasciviis ad cupidinem et fastidia.* Ceteris locis singulari usus est: I 7,16 *aetas Galbae . . . fastidio erat adsuetis iuventae Neronis*; 11,26,1 *facilitate adulteriorum in fastidium versa* et saepius.

lasciviae.[2]) Apud Catullum, Vergilium, Horatium, Tibullum haec vox non legitur; Ovidius solum singularem exhibet. Caesar hac voce non usus est, Cicero singularem

[1]) Neue I 636. Bednara 543. Spitta 42. 40 n. Hailer 25. Landgraf 73.
[2]) Neue I 639.

usurpat. Neuio teste primus pluralem ponit Valerius Maximus VI 9 ext. 1 *consedit etiam, ut clarissimum eloquium et prudentissima praecepta temulentiae lascīvĭīs ēlĕvārĕt.* Apud Vell. Pat., Senecam rhetorem, Senecam philosoph. hanc vocem non inveni. Nec Petronius hac voce usus est. Tacitus pluralem posuit 11,36,11 (Messalina) *paribus lasciviis ad cupidinem et fastidia*; contra singularem adhibet: 11,31,13 *ferunt Vettium Valentem lascivia in praealtam arborem conisum . . . respondisse*; 13,45,10 *modestiam praeferre et lascivia uti*; 12,7,10 *cuncta feminae oboediebant, non per lasciviam, ut Messalina, rebus Romanis inludenti* et saepius.

metus[1]) (~ φόβοι Soph.). Primus Vergilius pps adhibet: Aen. 1,463 et 9,90 *solve metus* etc. Saepe apud Ovidium pps legitur velut met. 1,736 *pone metus*; 10,466 *virgineosque metus levat*; 10,482 *inter mortisque metus et taedia vitae* et saepius. Caesar pluralem non usurpavit. Ciceronem pluralem nonnullis locis aut plurat. sens. aut concinnitatis causa admisisse Bednara recte docuit. (Ad ea quae Bednara contulit Ciceronis exempla accedunt: Sest. 35; Phil. I 15; divin. II 150; rep. IV 9; Cael. 36; har. resp. 55.) Livii ex libris Riemann unum tantum exemplum profert: III 9,4 *omnis metus legum*, ubi pluralem sens. plur. positum esse vides. Velleius Paterculus semper singularem adhibet: II 24,4 *repulsoque externo metu*; II 87,1 *expers muliebris metus*; II 110,6 *tantus huius belli metus fuit* et saepius. Valerius Maximus sens. plur. pluralem ponit VI 2,3 *multi metus urbis atque Italiae finiti erant*; singularis persaepe extat: III 2,1 *hos inter laetitiam et metum haesitantis*; VII 4,1 *metum* (militum) *fiducia mutavit*; VIII 11 ext. 1 *nec ulterius trepidare cives suos vano metu passus est* etc. Seneca rhetor semper singulari utitur: contr. VII 2,10 *adversus hunc metum* (scil. mortis) *emunivit animum*; IX 6,20 *hoc metu territus* etc. Seneca philos. pps.: ep. 123,15 *qui voluptatem laudant, qui doloris metus, per se formidabiles*

[1]) Neue I 637. Bednara 562. Seyss 10—11. Spitta 42—43.

res, incutiunt (contra 124,3 *qui nihil viriliter ausuri sunt doloris metu*); pluralis sens. plur. positus et singularis saepe obvius est. Petronius in oratione soluta solum singularem adhibet. [In senario iamb. pluralis fort. sens. plur. legitur 89 v. 1 „iam decima maestos inter ancipites metus | Phrygas obsidebat messis"; singularis extat 89 v. 3: „et vatis fides | Ca|chantis atro dubia pendebat metu."] Tacitus saepe pluralem usurpavit (sed non nisi in hist. et annalium primis sex libris); sens. plur.: II 12,11 *vastare, rapere eo atrocius, quod nihil usquam provisum adversum metus* („Schrecknisse, Veranlassungen zur Furcht" Lex. Tac.); IV 5,15 (Priscus) *recti pervicax, constans adversus metus* (scil. „omnes"); 4,71,10 *petendum a principe, ut metus suos senatui fateretur*; 6,18,1 *redeunt priores metus* (scil. civitatis vel civium); 14,57,4 *Tigellinus . . . metus eius* (scil. Neronis) *rimatur* etc. Vno fort. loco pps a Tacito adhibitus est: 1,29,11 *dum superstitio urgeat, adiciendos ex duce metus sublatis seditionis auctoribus* (euphoniae causa, ut evitaret „adiciendum ex duce metum").

odia.[1]) Catullus solum singularem habet. pps adhibitum puto esse a Vergilio: Aen. 1,668 *omnia circum | litora iactetur odiis Iunonis acerbae*; 5,786 *non media de gente Phrygum exedisse nefandis | urbem odiis satis est.* Ovidius pps adhibet: heroid. 7,47 *exerces pretiosa odia et constantia magno*; met. 4,448 *tantum odiis iraeque dabat.* Caesar plurali non nisi sens. plur. usus est. Cicero persaepe pluralem adhibet et sens. plur. et concinnitatis gratia; semel fort pps: ep. ad Qu. fr. III 9,5 *me ab eo ita observari scio, ut eius ista odia non sorbeam solum, sed etiam concoquam.* Livius omnibus eis, quos Neue protulit, locis pluralem adhibet sens. plur. Velleius Paterculus solum singularem ponit: II 18,1 *Mithridates . . . odio in Romanos Hannibal*; II 60,5 *interque naturaliter dissimillimos . . . crescebat odium* et saepius. Valerius Maximus pluralem exhibet sens. translato pro „hominibus inter se offensis" III 7,5 *quae* (fiducia)

[1]) Neue I 636. Landgraf 74. Seyss 8—9.

duobus acerrimis odiis latera sua cingere ausa est; ceteris locis singulari utitur: I 8,6 *cum Bruttii atque Lucani odio incitatissimo maximisque viribus Thurinae urbis peterent excidium*; IV 2,3 *odio dissidentes* etc. Seneca rhetor persaepe singularem usurpat; nonnullis locis pluralem adhibet, sed sens. plurat.; contr. X 4,8 *alios odia et simultates protraxerunt*; suas. 6,9 *graves odiorum causas esse* (scil. inimicorum Ciceronis) et saepius. Seneca philosophus sens. plur. pluralem exhibet: clem. I 12,4 *ignarus, quanta rabies oriatur, ubi supra modum odia creverunt*; I 19,4 *utinam quidem eadem homini lex esset . . nec saepius liceret nocere quam semel nec alienis viribus exercere odia*; ben. V 16,1 *nisi . . . hostis* (sens. collect. pro „hostes") *vetera et ingenita odia satiaverit* et saepe; singularis extat: clem. I 8,6 *paucorum odium*; I 18,3 *regum . . . odium*; ep. 55,3 *quotiens aliquos amicitiae Asinii Galli, quotiens Seiani odium, deinde amor merserat* etc. Apud Petronium pluralis legitur sens. plur.: 101,6 *causas odiorum* (Lichae et Tryphaenae) *. . . exponit*; 109,5 *odia detumescunt*; singularis saepe: 84,1 *propter morum differentiam odium habet*; 105,11 *quibus in odium bona sua venissent* etc. Tacitus sens. plur. pluralem usurpavit: I 58,12 *sedatis . . . militum odiis*; 2,57,11 *discesserunt . . . apertis odiis* et saepius; certe autem pps: 1,55,12 *auctis privatim odiis* (Segestis); 4,15,18 *notis in eum Seiani odiis*; 14,1,16 *credente nullo usque ad caedem eius duratura filii odia.*

amores[1]) (∼ ἔρωτες Soph.). De hac voce diligentius nobis agendum erit, cum viri illi doctissimi Bednara et Slotty inter se dissentiant; quorum hic pluralem suam vim tenere affirmat, ille saepe pps agnoscendum esse ait. Atque Slottio teste pluralis huius vocis significat aut hominem amatum aut gaudia amoris, quarum significationum priorem nostra in disputatione omittere possumus, quia apud scriptores

[1]) Bednara 552. Slotty 22—28. Spitta 41. Seyss 9. 15. Iacob 173. Thes. s. v.: ‚pluralis poeticus': 1967,72 sqq. et 1970,9 sqq.

nostros eo sensu haec vox non legitur.[1]) Ceteris autem omnibus locis plurali semper gaudia amoris significari negaverim, velut illis locis Catullianis 68,69 *ad quam communes exerceremus amores* et 64,334 *nulla domus tales unquam conexit amores | nullus amor tali coniunxit foedere amantes*, quibus locis nos quidem Germani pluralem reddere solemus voce „Liebe", non illo „Liebesfreuden" — quamquam longe abest, ut pps his duobus locis agnoscendum esse credam; nam quia utroque loco de amore duorum hominum agitur, pluralis et in oratione soluta adhiberi potuit —. Eodem modo res se habet apud Vergilium et Ovidium: Vergilius certe de unius amore plurali utitur pro singulari Aen. 1,350 *securus amorum | germanae* (de eadem re singulari utitur 1,344); 4,28 *ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores | abstulit* (de eadem re singularis extat 4,17 *postquam primus amor deceptam morte fefellit*). Eodem modo Ovidius pluralem pro singulari adhibet (a. a. II 385 pluralis sens. plur. positus est, id quod Bednaram effugit). Contra neque Caesar neque Livius hoc plurali usi sunt. Cicero nonnullis locis pluralem admisit, sed semper sens. plur. Lael. 33 *summi puerorum amores*; fin. III 68 *ne amores quidem sanctos a sapiente alienos esse arbitrantur* (ubi singularem *sapiens* vi collectiva pro plurali puto positum esse) etc. Contra apud eundem saepe singularem scriptum videmus, quem vertere possumus „Liebesfreuden", velut Cael. 39 *ut in amore atque in voluptatibus adulescentiam suam conlocaret?*; Catil. II 8 *qui alios ipse amabat turpissime, aliorum amori flagitiosissime serviebat* et saepius. Itaque cum pluralem pro singulari scriptum videamus et apud Vergilium et Ovidium (et apud Plautum et Terentium Andr. 913 *ac meretricios amores nuptiis conglutinas?*), non scriptum videamus apud Caesarem, Ciceronem, Livium, cum Bednara facere non dubitamus, qui hunc pluralem esse poeticum vult. — Velleius Paterculus semper singulari utitur: II 62,6 *Cicero insito amore Pompeianarum partium Caesarem laudandum . . . censebat*;

[1]) Nisi sens. plur. apud Tac. 2,41,16.

II 82,4 *crescente . . . et amoris in Cleopatram incendio et vitiorum*; II 86,3 *post enervatum amore eius Antoni animum.* Valerius Maximus sens. plur. pluralem exhibet IV 6 ext. 1 *sunt et alienigeni amores*; pps: IV 7,4 *loquatur Graecia Thesea nefandis Pirithoi amoribus subscribentem Ditis se patris regnis* (pps) *commisisse*, quo loco Val. Max. amicitiae constantiam admiratus quasi poetarum more loquitur; ceteris locis semper singularem positum esse inveni: II 9,3 *cuius* (mulierculae) *amore tenebatur*; VII 3,7 *equitem amore scorti deperditum* et saepe. Seneca rhetor plurali utitur sens. plur. suas. 7,5 *hominem . . . inter scaenicos amores sanguine civili luxuriantem*; singularis saepe: contr. II 1,21,26; II 2,10 etc. Seneca phil. pluralem sens. plur. adhibet dial. IV 20,1 *alios morbus aut iniuria corporum in hoc perduxit, alios labor aut continua pervigilia noctesque sollicitae et desideria amoresque.* Singularis extat: ep. 89,4 *philosophia sapientiae amor est* etc. Item Petronius: 83,4 *ergo amor etiam deos tangit?*; [sens. plur. pluralis obvius est frg. 39 v. 7 „fas et iura sinunt veteres extendere amores"; alias singularis: 122 v. 142 etc.]. Tacitus pps: I 78,7 (Otho) *ne tum quidem immemor amorum statuas Poppaeae . . . reposuit*; reliquis locis pluralem adhibet sens. plur. de amore complurium; singularis persaepe extat.

b. Iam vertamus nos ad eos plurales poeticos, qui sensum aliquem significant.

auditus.[1]) Vox apud poetas admodum rara; pluralem apud poetas, qui ante Tacitum floruerunt, non inveni. Caesar et Livius hanc vocem omnino non exhibent. Varro, Cicero, Curtius Rufus semper singulari usi sunt numero. Apud Velleium Paterculum, Val. Max., Senecam rhet., Senecam philos., Petronium neque pluralis neque singularis occurrit. Tacitus pps: 13,5,7 *quod* (velum) *visum arceret, auditus non adimeret*; contra singularem adhibet: D 8,11 *quae non auditu cognoscenda*; II 59,6 *brevi auditu quamvis magna transibat*; 4,69,2 *plurium auditu*; 2,72,8 *visuque et auditu iuxta venerabilis.*

[1]) cf. Wölfflin, Phil. 27, p. 114.

visus. Lucretius plurali utitur I 36 *pascit amore avidos inhians in te, dea, visus.* Item Vergilius: Aen. 2,605 *quae nunc obducta tuenti | mortales hebetat visus tibi*; 4,276 *tali Cyllenius ore locutus | mortalis visus medio sermone reliquit.* Ovidius pluralem ponit: met. 15,64 *et quae natura negabat | visibus humanis*; Fast. 2,80 *is fugiet visus . . . tuos*; 3,406 *visus effugietque tuos.* Caesar hac voce non usus est. Cicero solum sing. adhibet. Livius sens. plur. de compluribus somniis pluralem usurpavit 8,6,11 et 26,41,18. Velleius Paterculus semper singulari utitur: II 43,2 *mox intellexit frustratum esse visum suum*; II 57,2 *Calpurnia territa nocturno visu* (= somnio); II 94,1 *visuque praetulerat principem.* Valerius Maximus singularem ponit sens. pass. I 7,7 *perterritus . . . taetro visu.* Neque apud Senecam rhetorem neque Senecam philos. (ep. 89,2 *nobis . . . quorum visus in proximo deficit*; 94,19 *visum recepit*) pluralem scriptum vidi. Petronius singularem exhibet sens. pass. 128,5 *quasi quodam visu in horrorem perductus.* Tacitus sens. plur. dixit 2,41,11 *augebat intuentium visus*; sed pps adhibet: 6,50,19 *adfertur redisse Tiberio vocem ac visus*; 13,16,13 *reddituros paulatim visus sensusque*; quo in ultimo exemplo per analogiam, quia duo plurales iuxta posita sunt, pps *visus* natum esse nego, cum persaepe Tacitum concinnitatem verborem neglexisse constet. Porro pps IV 83,11 *Ptolemaeus . . . sacerdotibus Aegyptiorum . . . nocturnos visus aperit* (de uno somnio). Contra singulari utitur D 22,19 *quod visum et oculos delectet*; semper *visui, visu*; sensu passivo (de somnio) singularem adhibet 12,13,13 *deus . . . nocturno visu demonstrat.*

c. Veniamus ad plurales poeticos pertractandos sortem ac similia denotantes.

fata[1]) (~ τύχαι Aesch.). Pluralem a Plauto non nisi numerali adiecto excusatum et ab Ennio atque Accio semper vi concreta de oraculis adhibitum esse Bednara docuit.

[1]) Bednara 543. Slotty 33. 41. 50. Keller 202.

Idem multa exempla contulit, e quibus elucet Lucretium, Catullum, Ovidium saepe pps usurpavisse. Vergilius quoque saepe pps admisit: Aen. 4,20 *post fata* (= mortem) *Sychaei*; 6,869 *ostendent terris hunc tantum fata neque ultra | esse sinent* et saepius. Caesar solum singularem novit. Cicero pluralem non nisi sens. plur. adhibet: Sest. 93 *duo . . . fata*; Phil. X 20 *omnia . . . undique fata.* Livius pps: 8,6,11 *ut . . . alteruter consulum fata impleret* (= sterben). Apud Velleium Paterculum singularem huius vocis omnino scriptum non vidi; pluralis sens. plur. positus est: II 60,1 *adscrebant salutaria rei publicae terrarumque orbis fata conditorem conservatoremque Romani nominis*, et fort. hoc quoque loco: II 12,1 *C. Marius L. Sullam iam tunc ut praecaventibus fatis copulatum sibi quaestorem habuit*, nam dubium est, an solum de fato C. Marii agatur; certe pps a Vell. Pat. adhibitus est: II 57,3 *ineluctabilis fatorum vis, cuiuscumque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit*; II 97,3 *fatorum iniquitas consulem . . . rapuit*; II 123,2 *nec quidquam iam de fine, si fata poscerent, recusans . . . mox, cum omnem curam fata vincerent, . . . animam caelestem caelo reddidit* etc. Valerius Maximus sensu plurativo pluralem adhibet I 5 ext. 1 *vera fatorum praedicatione victoriae ducem habuerunt* (Sibyllam); V 4 ext. 3; saepe pps: I 7,3 *ut is . . . fata patriae lueret*; I 7 ext. 1 *cetera tacitis permitte fatis*; I 7 ext. 5 *ne Cyrus quidem superior invictae fatorum necessitatis parvulum argumentum est*; II 10,4 *ignara quidem fatorum suorum Karthago*; tum praecipue de morte: III 2 ext. 4 *qui . . . victoriam tantum non post fata sua . . . retulit* (IV 7,2; V 3,2b); IV 6,1 *qui coniugis tuae fata pro tuis permutari passus es*; V 2 ext. 4 *ille adventum Scipionis fatis suis praecurentibus haec uxori . . . praeceperat*; VIII 7 ext. 14 *fatis iam pressum caput erexit* etc. Contra eodem sensu saepe singulari utitur: I 7 ext. 6 *audiit illum Siciliae atque Italiae dirum esse fatum*; I 8 ext. 5 *iam fato functa peperit*; II 10,6 *dira fati necessitate* etc. Seneca rhetor pluralem sens. plur. exhibet: suas. 3,3 *ut*

intellegatur (ab hominibus voluntas deorum), *non posse fata revocari*; *si non sint fata, nesciri futura*; contr. VII 1,9 *multis itineribus fata decurrunt*; VII 1,10 *parva materia seiungit fata* (scil. vitam et mortem) et saepe; pps autem positum esse vides suas. 4,1 *extra omnem fatorum* (sic Schultingh; codd. *futurorum*) *necessitatem caput sit, quod gentibus futura praecipiat.* Seneca philosophus pps: ep. 94,65 *quid C. Caesarem in sua fata pariter ac publica inmisit?*; pluralis sens. plur. positus (ep. 88,15; 91,12 etc.) et singularis (ep. 120,13; 58,32 etc) saepe occurrunt. Petronius pps 111,11 *quid proderit . . . si antequam fata poscant, indemnatum spiritum effuderis?* Sens. plur. positus est pluralis: 69,5 *mulionum fata egit*; 114,9 *ultimum hoc gaudium fatis properantibus* (scil. nostris) *rape* etc; singularem exhibet 75,9 *iam curabo, fatum tuum plores*; 137,5 *anserisque fatum conplorat.* [Idem pps et in senario iambico 89 v. 21 „fata sed tardant manus (Laocoontis)" et in hex. 108 v. 9 „ei mihi fata | hos inter fluctus quis raptis evocat armis?" etc.; singularis in hex. obvius est 139 v. 1 „inplacabile fatum."] Tacitus vi concreta de oraculis pluralem adhibet I 22,15 *monitu fatorum*; V 13,11 *tantam fatorum magnitudinem interpretati*; sed etiam pps: G. 33,9 *urgentibus imperii fatis*; II 69,6 *principium interno simul externoque bello parantibus fatis* et saepe. Contra singularem exhibet: IV 72,20 *fato acta dictitans, quae . . . evenissent*; 1,55,10 *Varus fato et vi Armini cecidit*; 1,3,12 *mors fato propera* et saepe.

fortunae[1]) (~ τύχαι, vel ~ fata = Geschick, Los, non = Glücksgüter. Terentius pps: Andr. 69 *tum uno ore omnes omnia bona dicere et laudare fortunas meas, qui gnatum haberem tali ingenio praeditum.* Lucilius pps: 780 *vitam ac fortunas cui crediderim meas?* Vergilius modo sens. plur. plurali utitur: Aen. 6,683 *fataque fortunasque virum.* Item Horatius, Tibullus, Ovidius pluralem poeticum non admiserunt. Caesar pluralem non nisi sens. plurat.

[1]) Halm ad Cic. pro Sulla 66. Heraeus ad Tac. IV 1,13. Marx ad Luc. 780.

posuit, velut b. G. III 12,2 *suis fortunis desperare coeperant*; V 3,7 *sese . . . suas civitatisque fortunas eius fidei permissurum*; VI 7,6 *sese suas exercitusque fortunas in dubium non devocaturum*; nam quamvis primo obtutu in illo *suas . . . fortunas* haereamus, tamen, cum de sua fortuna et de fortuna exercitus vel civitatis Caesar agat, summo iure de fortuna duorum pluralem positum esse concedemus. Cicero pps adhibet: Tusc. V 115 *Polyphemum Homerus . . . cum ariete etiam conloquentem facit eiusque laudare fortunas, quod . . .*; Phil. VII 27 *vita et fortunae optimi cuiusque*; fort. et ep. ad Att. V 11,1 *ne provincia nobis prorogetur, per fortunas! dum ades, quidquid provideri potest, provide!* Ex Livii scriptis Riemann haec duo exempla profert: 2,24,5 *patribus . . . adflictis civium suorum fortunis* et 9,8,4 *apud ignaros fortunarum humanarum*, quibus locis pluralis sens. plur. positus est. Velleius Paterculus solum singularem adhibet: II 11,3 *ut appareat, quemadmodum urbium imperiorumque, ita gentium nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire*; II 110,1 *interdum moratur proposita hominum fortuna* et saepius. Apud Valerium Maximum nonnullis locis pluralis denotat divitias: IV 8,2; VI 5,3; VII 7,7; 8,6. Eo quem hic tractamus sensu pluralis sens. plur. positus est VI 9 *aliorum fortunas spectando*; ceteris locis singularis obvius est: I 6,12 *ultimam belli fortunam*; IV 7 *infractae fortunae homines* et saepe. Seneca rhetor (contr. IX 1,1; IX 1,2 etc.), Seneca philos. (clem. I 1,2 etc.), Petronius (persaepe) solum singularem exhibent; [neque in carminibus Petronius plurali utitur]. Apud Tacitum scriptum vides IV 1,13 *undique lamenta, conclamationes et fortunae captae urbis* [sic in cod., edd. *fortuna*]. Haud scio an illud *fortunae* ortum sit incuria scribae, cui cum iam vox sequens ante oculos versaretur, et illi *fortuna* litteram „e" addidit, ita ut *fortunae* oreretur. Mea autem sententia illud *fortunae* exemplis e Terentio, Lucilio, Cicerone allatis defendi potest neque *fortuna* coniciendum est. Quod ad concinnitatem cf. quae exposui p. 46.

exitus. Catullus hac voce non usus est. Vergilius solum singularem adhibet; item Ovidius. Horatius pluralem sens. plur. ponit Od. IV 8,34 *Liber vota bonos ducit ad exitus*, sed pps IV 14,38 *fortuna lustro prospera tertio / belli secundos reddidit exitus.* Caesar sens. plur. pluralem adhibet b. c. I 21,4 et I 25,4; singularis saepe obvius est Cicero sens. plur. plurali utitur: ep. ad fam. II 16,6 *haec omnia meliores habebunt exitus*; Mil 56 *adde incertos exitus pugnarum* et saepe; pps autem: Phil. X 20 *ut concedam incertos exitus esse belli Martemque communem.* Livius 3,8,9 pluralem sens. plur. adhibet Velleius Paterculus solum singularem usurpat: II 72,1 *hunc exitum M. Bruti partium . . . fortuna esse voluit*; II 87,3 *Antoni Cleopatraeque quis fuisset exitus narravimus* et saepe. Item Valerius Maximus semper singulari utitur: II 9,6 *tristi iudiciorum exitu*; V 1,3 *dedit utrique . . . numen debitum exitum* et saepius. Seneca rhetor pps: contr. IX 2,10 *heu quam dissimiles exitūs ̆mĭtūs hăbes!* (fort. propter clausulam). Seneca philos. pluralem ponit sens. plurat. ben. III 10,3 *quid inhumanius quam cruentos esse beneficiorum exitus?*; ep. 9,9; 70,14 etc. Petronius solum singularem novit: 111,8 *omnium eundem esse exitum et idem domicilium* et saepe; [in carminibus haec vox obvia non est]. Tacitus pluralem non nisi sens. plur. adhibet.

ruinae (= Sturz, Fall, Untergang, Verderben, non = Trümmer, Ruinen). Catullus sens. plur. pluralem adhibet 23,9 *nihil timetis / non incendia, non graves ruinas.* Apud Vergilium pluralis semper „Trümmer, Ruinen" denotat.[1]) Horatius pps adhibet: Od. I 37,7 *dum Capitolio / regina dementes ruinas / funus et imperio parabat*; III 5,40 *o magna Carthago probrosis / altior Italiae ruinis.* Ovidius sens. plurat. plurali saepe utitur. Caesar semper singularem exhibet. Apud Ciceronem nonnullis locis pluralis extat, sed sens. plur. (dom. 96 etc.). Livius pps admisit: 1,29,6 *quadringentorum annorum opus . . . excidio ac ruinis dedit*;

[1]) Si qua fides est indici Kochii et Georgesii.

1,30,1 *Roma interim crescit Albae ruinis.* Velleius Paterculus pps: II 35,4 *impendentia ex ruinis incendiisque urbis . . . pericula exposuit*; quo loco pluralem *ruinis* fort. concinnitatis causa positum esse non negaverim, sed et pluralis *incendiis* hic poetica cum licentia positus est; singularis extat: II 85,1 *pro salute alter, in ruinam alter terrarum orbis dimicavere*; II 91,4; II 124,1. Valerius Maximus persaepe singulari utitur; uno loco pluralis obvius est, sed sens. plur. VI 3,1c *parietum ac tectorum . . . ruinis.* Seneca rhetor pluralem non nisi de reliquiis adhibet contr. X 5,1: *infelix senex vidit iacentis divulsae patriae ruinas*; singularem ponit contr. IX 4,5 *Cannensis ruinā*; X 6,1 *unius parietis ruina.* Seneca philos. sens. plurat. interdum pluralem usurpat velut ep. 9,19; Petronius solum singularem exhibet [etiam in carminibus]. Tacitus pps: IV 72,8 *ipsis sufficere ignes et rebellis coloniae ruinas*; 15,42,1 *Nero usus est patriae ruinis exstruxitque domum.* Contra singularem posuit: G. 36,7 *tracti ruina Cheruscorum et Fosi*; IV 42,23 *cum . . . pueros, . . . senes, . . . feminas eadem ruina prosterneres*; 2,47,5 *inter ruinam* (de XII Asiae urbibus agitur) et saepius.

d. Transeamus ad verba quae pertinent ad deorum cultum et ad deos ipsos.

numina.[1]) Lucretius pluralem non nisi sens. plur. exhibet, Catullus solum singularem novit. Vergilius pps: Aen. I 666 *ad te* (= Cupidinem) *confugio et supplex tua numina posco*; II 233 *orandaque divae / numina conclamant* et saepe. Item Ovidius saepe pps adhibet. Caesar (b. G. VI 16,3 *deorum immortalium numen*) et Cicero solum singularem noverunt (nat. deor. I 3 *deorum numini*; divin. II 29 etc.). Velleius Paterculus quoque semper singulari utitur: II 107,2 *cum vestrum numen absentium colat*; II 25,4 *cuius* (Dianae) *numini regio illa sacrata est.* Valerius Maximus de compluribus pluralem ponit V 10 ext. 2 *numina*,

[1]) Bednara 559. Spitta 11—12. Braumüller 13. Seyss 13. Hailer 19. Landgraf 70. Norden 230. 368.

quibus sacrificabat (de eadem re paulo ante *deorum cultum*); V 6 *deorum numinibus.* Persaepe singularis obvius est: I 6,12 *caelestium numen*; II 10,2 (p. 104,20) *deorum inmortalium numini* et saepius. Seneca rhetor pps: contr. I 3,5 *invocavi, inquit, numina* (agitur solum de dea Vesta); de eadem re singularis extat I 3,1 *sanctissimum numen* etc. Apud Senecam philos. pps non inveni; pluralis sens. plur. positus est ep. 90,28 *in secundam numinum formam animae perpetitae.* Petronius sens. plur. plurali utitur 17,5 *nostra regio tam praesentibus plena est numinibus*; sed pps: 133,2 *sic deprecatus sum numina versu* (agitur de Priapo); contra singularem ponit 140,11 *numen inimicum* (= Priapus). [In carminibus pluralem sens. plur. exhibet et saepe singularem.] Tacitus sens. plurat. pluralem saepe usurpat: 3,61,5 *ubi Latonam . . . edidisse ea numina* (= Dianam atque Apollinem); 1,10,23 *nihil deorum honoribus relictum, cum se templis et effigie numinum* (= in der Gestalt, im Bilde gewisser Götter) *. . . coli vellet* et saepe; singularis quoque saepe obvius est.

vota.[1]) Primus Catullus pps exhibet. Apud Vergilium pps non inveni. Saepe pps legitur apud Ovidium. Caesar sens. plur. pluralem ponit b. c. I 6,6 *paludatique votis nuncupatis exeunt.* Item Cicero non nisi sens. plur. pluralem adhibet. Velleius Paterculus sens. plur. utitur plurali: II 48,2 *universa Italia vota . . . suscepit*; II 103,4; singularis obvius est II 22,4; 40,2 etc. Valerius Maximus pps: IV 3,6 *consentanea . . . Fabricii vota extiterunt* (= *Pyrro et Samnitibus Epicuri sapientiam deprecatus est*); V 10,2 *annuendo enim votis meis* (= *ut si quid adversi populo Romano inmineret, totum in meam domum converteretur*); VIII 1 abs. 5 *audacter et temere iactis votis sacerdotis rerum ipsa natura cessit* (= *effice ut hoc (cribro) hauriam e Tiberi aquam et in aedem tuam perferam*). Singularis et pluralis sens. plur. positus saepe extant. Apud Senecam rhetorem (pluralis sens. plur. positus obvius est contr. I 3,6 etc.) et Senecam

[1]) Bednara 551. Appel 27.

philos. (pluralis sens. plur. ep. 31,5; 32,4 etc.) pps scriptum non vidi. Petronius praeter singularem plurali non utitur nisi sens. plur. posito [neque in carminibus pps adhibet]. Neque Tacitus pps admisit.

e. Sequantur nonnulli plurales poetici, qui in capita distribui non possunt.

ardores. Hanc vocem pluraliter elatam proprio sensu iam apud Lucretium scriptam vides V 605 *ut queat accendi parvis ardoribus ictus* (aer); singularem exhibet VI 273 *et solis radiis ardoreque eorum.* Catullus singulari utitur 62,29 *tuus . . . ardor.* Apud Vergilium pluralis non legitur. Translato sensu (= Liebesglut) Ovidius pps saepe admisit. Caesar hac voce non usus est. Varro ling. lat. V 61 singularem adhibet. Cicero proprio sensu pps ponit Cat. mai. 53 (uva) *nimios solis defendit ardores*; sens. plur. pluralis extat nat. deor. II 92 *ut, si* (sidera) *mota loco sint, conflagrare terras necesse sit a tantis ardoribus*; singulari saepe utitur, velut nat. deor. I 33 (Aristoteles) *caeli ardorem deum dicit esse*; rep. VI 21 *medium* (cingulum terrae) *. . . solis ardore torreri* et saepius. Sallustius sens translato: Iug. 18,9 *Gaetuli sub sole magis, haud prŏcŭl ăb ardōrĭbus,* ubi pluralis *ardores* sine dubio idem valet ac *zona calida*; proprio sens. pps adhibet: Iug. 19,6 *dein loca adusta solis ardoribus.* Livius solum singularem novit. Item solum singularem exhibent sensu translato Velleius Paterculus (II 35,3 *eo ardore oris*; II 118,2 *ardorem animi*), Valerius Maximus (III 2 ext. 2 *Darei quantus ardor animi!*; III 2,19 *divino animi ardore* et saepius), Seneca rhetor (contr. I 8,5 *hic impetus, hic ardor animi*). Seneca phil. saepe pps: ep 90,17 *Syrticae gentes, quibus propter nimios solis ardores nullum tegimentum satis repellendis caloribus solidum est nisi ipse arens humus* etc. Petronius hac voce non usus est. Tacitus proprio sensu pps: V 6,10 *Libanum . . ., mirum dictu, tantos inter ardores opacum.* Singularem non adhibet nisi sens. translato idque saepius.

[1]) Neue I 648. Bednara 552. Hailer 23.

astutiae.[1]) Plautus ter pluralem admisit concinnitatis gratia aut sensu plurativo: Epid. 375 *eam permeditatam, meis dolis astutiisque onustam*; Asin. 546 *nostris sycophantiis, dolis astutiisque*; Mil. 233 *dum in regionem astutiarum mearum te induco.* Contra singulari usus est Capt. 679 *mea opera atque astutia* et saepius. Terentius semel plurali utitur: Andr. 604 *em astutias!*, quo loco Terentium plur. sens. pluralem posuisse iam Donatus ad hunc locum adnotavit: *bona ironia pluraliter dixit astutias quasi is qui abundet astutiis, ut ei non una sufficeret.* Singularem posuit Andr. 723 *opus est tua mihi ad hanc rem exprompta malitia atque astutia.* Pacuvius singulari usus est trag. 358 (Ribbeck[3]): *quin etiam ferae / quibus abest ad praecavendum intellegendi astutia / mortis iniecto terrore horrescunt.* Catullus, Vergilius, Propertius, Tibullus, Horatius, Ovidius, Caesar hanc vocem non exhibent. Cicero pluralem ponit sens. plur. off. III 68 *aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias* et III 71 *astutiae tollendae sunt*, quia sine dubio his locis de astutia complurium agitur. Contra singularem adhibet: Cluent. 183 *quodsi aut confidens astutia aut callida esset audacia*; ep. ad fam. III 10,9 *non astutia quadam, sed aliqua potius sapientia.* Sallustius autem poetica cum licientia hunc pluralem admisisse videtur Cat. 26,2 *neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutiae deerant.* Velleius Paterculus, Seneca rhetor, Seneca philos., Petronius hac voce non usi sunt. Valerius Maximus solum singularem novit: I 8 ext. 15 *captum et astutia elapsum*; VII 4,2 *iuvenili calliditati senilis astutia respondit*; VII 3 ext. 7 *offensam astutia mire avertit* et saepius. Item singulari utitur Columella VII 3,5. Apud Tacitum haec vox semel occurrit eoque loco pluraliter elata: 13,38,7 *cuicumque mortalium . . . barbarae astutiae patuissent* quo loco neque de compluribus dolis neque de astutia complurium agitur.

---

[1]) Neue I 638. Hailer 20.

auxilia[1]) (= Hilfe, non = Hilfstruppen). Pluralis a Plauto certe plurat. sens. adhibitus est: Capt. 517 *nunc spes, opes auxiliaque a me segregant spernuntque se*; Epid. 677 *auxilia mi et suppetiae sunt domi.* Vergilius pps exhibet: Aen. 5,222 *frustraque vocantem / auxilia* etc. Item Ovidius pps ponit: heroid. 1,108 *auxiliis . . . patris* et saepius. Caesar et Cicero non nisi sens. plur. pluralem adhibent. Livius quoque fort. sens. plur. pluralem usurpat: 7,32,3 *tam promptos nunc ad ferenda nunc ad accersenda adversus se auxilia.* Velleius Paterculus pps non admisit; singularis extat: II 74,3 *spem magis ostenderat auxili, quam . . .*; pluralis sens. plur. invenitur II 51,1 *accitis . . . equitum ac peditum auxiliis*; II 55,2 *undique ad eum adhuc paterni nominis magnitudinem sequentium ex toto orbe terrarum auxiliis confluentibus.* Apud Valerium Maximum pluralis semper copias auxiliares denotat; proprio sensu solum singularem scriptum vidi: II 10,4 et V 1,1 f *petendi auxilii gratia*; II 7,8 *auxiliumque tribunorum plebi* et saepe. Seneca rhet. hac voce non usus est. Seneca philosophus plurali sens. plur. utitur: ben. VI 23,5 *cum* (di) *omnibus alimenta protinus et auxilia providerint*; clem. I 13,1 *placido . . . regi fida sunt auxilia sua* etc.; fort. pps: ep. 13,3 *accipe a me auxilia*; ep. 59,8 (stultitia) *inparata est et ipsis terretur auxiliis*; ep. 91,5 *auxilia securitatis in metum transeunt*; singularis saepe extat. Petronius sens. plur. (et concinnitatis gratia) pluralem ponit: 108,4 *comes . . . et unus alterque vector, solacia magis litis quam virium auxilia*; reliquis locis singulari utitur: 92,10 *statim invenit auxilium*; 21,1 *nec in auxilio erat quisqam* etc. Tacitus pluralem adhibet sens. plur. 6,11,10 *ob magnitudinem populi ac tarda legum auxilia*; sed pps: 15,59,13 *auxilia libertati invocat* (cf. Verg. Aen. 5,222); 2,46,19 *misitque legatos ad Tiberium oraturos auxilia.*

---

[1]) Landgraf 70. Riemann 43.

bella.[1]) Primus Vergilius pps exhibet: Aen. 1,48 *una cum gente tot annos / bella gero*; 7,616 *indicere bella.* Item Ovidius saepe pps. Caesar pluralem non nisi sensu plurativo adhibet. Neque apud Ciceronem neque apud Livium pps scriptum vidi. Thes. l. l. II 1853,35 sqq. solum e Solini aliorumque scriptorum pedestrium libris, qui multo post Taciti tempora floruerunt, nonnulla poetici pluralis exempla contulit. Velleius Paterculus pluralem saepe adhibet, sed semper sens. plur. velut II 89,3 (a Caesare) *finita vicesimo anno bella civilia* de singulis bellis civilibus a Caesare gestis; eodem modo hac voce utuntur Valerius Maximus IV 3,12 (Cato posterior) *cum bellis civilibus interesset* etc. et Seneca rhetor: contr. II 1,1 *bella civilia aurato Capitolio gessimus* et saepe. Seneca philos. fort. sens. plur. pluralem ponit ep. 95,31 *non pudet homines . . . bella gerere*; neque diiudico, an pps posuerit ben. VII 2,5 *cum . . . Onesicritus . . . bella in ignoto mari quaereret.* Petronius pps in prosa oratione non usurpat. [Contra in vers. hex. pps: 122 v. 165 „aut qui sunt, qui bella vident."] Tacitus saepe plurat. sens. pluralem posuit; certe autem pps III 57,10 *municipalem aemulationem bellis civilibus miscebant* de uno tantum bello, quod Vespasianus in Vitellium gessit.

commercia.[2]) Apud Catullum haec vox omnino non occurrit. Vergilius pps adhibet Aen. 10,532 *belli commercia* (= Kriegsgetümmel). Item apud Ovidium pps. In Caesaris libris haec vox non legitur. Cicero semper singularem exhibet: Verr. IV 133 *L. Crasso, Q. Scaevolae, C. Claudio . . . commercium istarum rerum cum Graecis hominibus non fuisse* et saepius. Livius pluralem sens. plur. posuit 8,14,10 *ceteris Latinis populis . . . conubia commerciaque et concilia inter se ademerunt.* Velleius Paterculus plurali utitur sens. plur. II 65,1 *inter eum Caesaremque et Antonium commercia epistularum et condicionum iacta mentio.* Valerius Maximus solum singularem adhibet: V 3 ext. 3 (p. 241,20) *dandi et accipiendi beneficii commercium*; VI 1,10 *quod . . . stupri commercium habuisset* etc. Apud Senecam rhetorem hanc vocem non inveni. Seneca philos. singularem usurpat: ben. IV 18,1 *beneficiorum commercio*; ep. 18,12. Petronius hanc vocem non exhibet. Tacitus persaepe plurali utitur: semper dicit, sed sens. plur., *per commercia* (G. 17,6; 24,11; A. 24,10; 28,14; 39,5); eodem sensu pluralis positus est: G. 5,12. *ob usum commerciorum*; IV 65,13 *vectigal et onera commerciorum*; sed pps: III 81,11 *dirempta belli commercia*, qui locus valde admonet de Verg. Aen. 10,532. Contra singularem posuit: 14,33,15 *belli commercium*; 2,62,9 *ius commercii* et saepius. Adnotandum est nunquam in annalium libris pluralem legi.

consilia. Lucretius solum singularem exhibet. Catullus singulari utitur 64,137; plurali sens. plur. posito 64,176. Vergilius semel pluralem ponit, sed sens. plur. Aen. 1,658; singularem 7-ies adhibet Ovidius concinnitatis causa: met. 2,146 *corripe lora manu ! — vel si mutabile pectus / est tibi, consiliis, non curribus utere nostris* = dann folge meinem Rat. Caesar et Cicero pluralem non nisi sens. plurat. adhibent. Haud scio an Livius pps posuerit 1,48,9 (Servius Tullius imperium deposuisset,) *ni scelus intestinum liberandae patriae consilia agitanti intervenisset.* Item in medio relinquo, an Velleius Paterculus pps exhibuerit hisce locis: II 88,1 *M. Lepidus . . . interficiendi, simul in urbem revertisset, Caesaris consilia inierat* et II 91,2 *cum inissent occidendi Caesaris consilia.* Valerius Maximus certe pps: I 8,10 *‚nihil enim' inquit* (Pythia), *‚ad te hoc, Romane, bellum: Euboeae coela obtinebis'; at is ratus consiliis se Apolllinis moneri, ne illi discrimini interesset*; pps fort. et VI 6,2 *classe . . . devicta duces . . . fractis animis consilia petendae pacis agitabant.* Contra singulari utitur V 6,7 (cum) *reliquiae . . . deserendae Italiae . . . consilium agitarent*; III 2,15 *cum Bruti . . . consilium, quod de interficiendo ceperat Caesare, . . cognosset* etc. Apud Senecam rhet. et Senecam phil.

[1]) Bednara 541. Appel 23. 57. Braumüller 13. 31.
[2]) Bednara 542. Landgraf 70. Hailer 26. Riemann 43.

nihil inveni, in quo haereamus. Petronius fort. pps 91,3 *supprimere ego querellam iubeo, ne quis consilia deprehenderet*, = consilium fugiendi. Tacitus pluralem semper sens. plur. adhibet.

fletus.[1]) Catullus pps adhibet. Vergilius pps: Ge. 4,375 *nati fletus cognovit inanis*; Aen. 2,271 *Hector / visus adesse mihi largosque effundere fletus*; singulari utitur Aen. 3,599 *mox sese ad litora praeceps / cum fletu precibusque tulit*. Item Ovidius pps met. 11,672 *fletus quoque fundere veros/visus erat*; singularem saepe adhibet: met. 4,140 *fletumque cruori miscuit* etc. Caesar solum singularem novit: b. G. I 32,1 *omnes . . . magno fletu auxilium a Caesare petere coeperunt*; b. c. II 4,3 *omnium seniorum, matrum familiae, virginum precibus et fletu excitati* et saepius. Cicero pluralem exhibet sens. plur. Verr. IV 47 *quos . . . fletus mulierum*; IV 110. Singularis persaepe extat: Verr. IV 52 *quem . . . fletum mulierum*; Tusc. I 30; II 55 etc. Livius sens. plur. plurali utitur: 22,61,3 *cum magnis fletibus questibusque legatos ad portam prosecuti sunt*; 25,37,10. Apud Velleium Paterculum hunc pps scriptum non vidi. Valerius Maximus solum singularem habet: V 1,4 *fletum cohibere non potuit* etc. Seneca rhetor pps exhibet contr. IX 6,8 *quemadmodum illi extorquebo lacrimas? adferte mihi imaginem fratris; videte subito desiderio fletus concitatos*; singularis obvius est suas. 6,21 *gemitu et fletu*. Seneca phil. sens. plur. pluralem ponit ep. 99,16 *in fletus novos excitantur*; 63,2 *quaeris, unde sint lamentationes, unde inmodici fletus*; singularis saepe extat: ep 99,27; 121,8 etc. Petronius in oratione soluta solo singulari utitur: 80,3 *puer tangebat utriusque genua cum fletu*; 134,6 *fletu confusa . . . sedit*. [Semel pluralis obvius est in senar. iamb., sed sens. plur. 89 v. 16 „iam turba portis libera ac bello carens | in vota properant fletibus; manant genae"; singularis non occurit in carminibus Petronii.] Quintilianus pluralem adhibet sens. plur. V 11,38

[1]) Neue I 645. Slotty 31. 50. Spitta 35. Hailer 25.

fletibus natos, laetitia defunctos prosequuntur; fort. de actione iterata et hoc loco VI 2,7 *an cum ille, qui plerisque perorationibus petitur, fletus erumpit, non palam dicta sententia est?* Tacitus solum singularem exhibet eumque semper in casu ablat. positum: 14,33,6 *fletu et lacrimis* et saepe.

incepta. Vergilius pps adhibet Aen. 7,259 *di nostra incepta secundent / auguriumque suum* (metro cogente); ex illo *auguriumque suum* apparet verba *di nostra incepta secundent* significare: „Laviniam filiam Aeneae uxorem dare in animo habeo; hoc inceptum di secundent". Contra persaepe singularem ponit: Aen. 1,37 *incepto desistere*; 2,654 *abnegat inceptoque et sedibus haeret in isdem*; 4,452 *quo magis inceptum peragat lucemque relinquat, / vidit* et saepius. Item apud Ovidium[1]) pps. Caesar hanc vocem substantivi loco positam non adhibet. Cicero solum singularem novit. Corn. Nepos[2]) autem scripsit Milt. 1,3 *si id fecissent* (scil. si Miltiadem ducem sibi sumpsissent), *incepta prospera futura* (de colonia in Chersonesum deducenda). Item Sallustius[1]) pps adhibet Cat. 17,6 *iuventus Catilinae inceptis fovebat*. Velleius Paterculus semper singulari utitur: I 10,1 *qui iuberet incepto desistere*; II 68,3 *incepto pari similis fortuna Milonis fuit*. Valerius Maximus quoque semper singularem exhibet: III 2,3 *nec incepto eius fortuna defuit*; VI 5 ext. 2 (VIII 2,3; IX 5,1) *Themistoclen incepto iussit desistere*; IV 6,2 *inceptum exequi prohibitus*. Apud Senecam rhetorem pluralem non inveni. Seneca phil. pps ponit ep. 59,12 *incepta agere perseveravit* (= obsidionem urbis non solvit). Petronius hac voce non usus est. Tacitus pps adhibet: I 89,10 *Scriboniani contra Claudium incepta* (de seditione a Scribonio in Claudium facta); 6,32,11 *non Tiberius omisit incepta* (de Armenia recuperanda agitur). Contra saepe singularem posuit: IV 19,19; 1,19,2 *omisit inceptum*; 15,36,8 *deseruit inceptum* et saepe.

[1]) Bednara 544.
[2]) Lupus 96.

iura.[1]) Catullus pps 66,83. Vergilius pps adhibet: Aen. 8,670 *his dantem iura Catonem* (= über sie Recht sprechend); 7,246 *cum iura vocatis / more daret populis*. Item Ovidius saepe pps. Caesar pps non admisit: b. G. VI 23,5 *principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt*; b. c. III 20,2 *clementer et moderate ius dicendum existimabat*. Cicero quoque semper dicit *ius dare*; fort. pps adhibet Quinct. 48 *Ilicone ad praetorem ire convenit? continuone verum fuit postulare, ut ex edicto bona possidere liceret? ad haec extrema et inimicissima iura tam cupide decurrebas, ut* ... Livius pps usurpat 1,41,5 *cum iura redditurum* ... *esse* (= zu Gericht sitzen). Velleius Paterculus semper singulari utitur: II 118,1 *in foro ius dicere*; II 15,2 *neque in eius civitatis ius recipi* et saepius. Valerius Maximus pps: VI 9,8 *quem enim diurnas capturas exigentem animadverterant, eundem iura dantem* ... *viderunt*; VII 7,7 *huic* (lenoni) *tamquam integro civi iura reddere*; contra scriptum vides *ius dicere*: III 5,1; 7,1 a; VI 2,11; III 7 ext. 7 *illis meae gentis ius dabo* et saepe. Seneca rhetor pluralem non nisi sens. plur. adhibet: contr. I 7,2 *in magnis sceleribus iura naturae intereunt*; IX 5,7 *quaedam iura non lege, sed natura nobis attributa* etc.; singularis quoque saepe extat: contr. IX 2,17 *si praetor ius* ... *dixerit* et saepius. Seneca phil. pps exhibet ep. 119,15 *nobis videndi iură discrĭpsĭt*; 14,14 (Stoici) *secesserunt ad colendam vitam et humano generi iŭră condendă*; singularis saepe obvius est: apoc. 7,4 *ius dicebam*; ep. 47,14; 106,2. — ep. 63,2 *cum* ... *ius flendi dederit in unum dumtaxat diem*. Petronius singulari utitur 70,5 *cum ergo Trimalchio ius inter litigantes diceret* et saepe. Tacitus pps adhibet: G 12,10; 12,43,5 *iura reddentem Claudium circumvasere*; 4,30,11 *subverterent potius iura, quam custodes eorum amoverent*. Contra singularem ponit 6,11,3 *in tempus deligebatur, qui ius redderet* etc.

[1]) Neue I 629–630. Bednara 557.

otia.[1]) Quia Claudius Quadrigarius hunc pluralem adhibet, fortasse iam Ennium, cuius vestigia Claudius Quadrigarius secutus est, pps usurpavisse Norden p. 320 coniecit. Lucretius[2]), Catullus[2]), Vergilius[3]), Ovidius[2]), saepe pps exhibent. Caesar et Cicero solum singularem noverunt, etiam si de repetito quiescendi statu agitur.[4]) Item solo singulari utuntur Velleius Paterculus (II 88,2 *otio ac mollitiis*; II 105,2; II 1,1 etc.), Valerius Maximus (I 7 ext. 6; V 3,4; 6 ext. 5 etc.), Seneca rhetor (contr. II 1,17; 2,8; VII 2,13), Petronius (51,4 *phialam otio belle correxit*). Seneca philos. plurali utitur Vergilii versu, quem citat, adductus ep. 73,10: *multum se debere ei, cuius administratione* ... *contingit illi pingue otium* ... *,o Meliboee, deus nobis haec otia fecit* ...' *si illa quoque otia multum auctori suo debent*, ... *quanti aestimamus hoc otium, quod* ...; ceteris locis singularis extat. Quintilianus pluralem adhibet concinnitatis causa et propter genetivum sequentem VI 2,30 *inter otia animorum et spes inanes*. Tacitus pps: 14,20,13 *ut* ... *degeneret* ... *studiis externis iuventus, gymnasia et otia et turpes amores exercendo*.[5]) Persaepe singulari usus est: A. 42,5 *quietem et otium laudare*; V 4,11 *septimo die otium placuisse ferunt* et saepius.

praedae[6]) (~ ἁρπαί Eurip. Ion. 192) Catullus, Horatius, Ovidius semper singularem adhibent. Tibullus concinnitatis causa pluralem ponit I 2,66 *praedas* ... *et arma sequi*; sens. plur. II 3,50 *iam veniant praedae, si Venus optat opes*; singularem saepius exhibet. Vergilius sens. plurat. plurali utitur Aen. 7,749 *semperque recentis / convectare iuvat praedas et vivere rapto* etc.; fortasse pps: 1,528 *non nos aut ferro*

[1]) Neue I 632. Maas 545–546. Slotty 34. 39–40. 49. Landgraf 73. Appel 62. Norden 320. Hailer 25. Spitta 37.

[2]) Bednara 546.

[3]) Spitta 37.

[4]) Slotty 34.

[5]) Quod ad verborum concinnitatem, vide quae exposui p. 46.

[6]) Braumüller 12.

Libycos populare penatis | venimus aut raptas ad litora vertere praedas; singularis quoque apud Verg. extat. Caesar solum singularem novit: b. G. V 34,1 *illorum esse praedam*; VI 43,2 *praeda ex omnibus locis agebatur* et saepe. Cicero pluralem non nisi sens. plur. adhibet: Verr. III 119; har. resp. 59 etc. Livius pluralem ponit sens. plur. aut concinnitatis causa 1,54,10 *largitiones inde praedaeque*. Velleius Paterculus (II 86,3 *ero praeda victoris*; II 115,2 *laetus victoria praedaque onustus*) et Valerius Maximus (IV 3,14 *inveniri nemo potuit, qui ... praedam peteret* et saepe) semper singulari utuntur. Neque apud Senecam rhetor. neque Senecam phil. pluralem inveni. Petronius solum singularem exhibet 114,14 *procurrere piscatores ... ad praedam rapiendam* et saepe. [Neque in carminibus plurali usus est.] Tacitus plurat. sensu pluralem usurpat: 4,23,7 *erat illi praedarum* (scil. ex singulis raptibus partarum) *receptor ... rex Garamantum*; 12,54,12 *spoliaque et praedas ad procuratores referre* (de actione repetita); pps admisit: I 80,12 *pessimus quisque in occasionem praedarum*; I 45,9 *caedis et praedarum initium ... quaeri apparebat*. Contra persaepe eodem sensu singularem posuit: I 67,1 *plus praedae ac sanguinis*; I 79,7; III 48,3 *cupidine praedae* etc.

praemia.[1]) Catullus[2]) pps adhibet 64,102 *praemia laudis* et saepius. Vergilius[3]) pps Aen. 5,346 *qui subiit palmae frustraque ad praemia venit | ultima* etc. Item Ovidius[2]) saepe pps. Caesar pluralem semper sens. plur. exhibet, velut b. c. I 3,2 *multi ... spe praemiorum atque ordinum evocantur*; b. G. VI 13,5 *praemia poenasque constituunt* etc.; singularis saepe. Cicero et sens. plur. pluralem saepe ponit (Mil. 97 etc.), et concinnitatis causa: Verr. V 125 *vobiscum Africanus hostium spolia et praemia laudis com-*

[1]) Appel 20. 21. 63.
[2]) Bednara 547.
[3]) Spitta 13. Braumüller 12. 33.

municavit; sed fort. pps: Mil. 81 *etenim, si id non negat, ex quo nihil petit, nisi ut ignoscatur, dubitaret id fateri, ex quo etiam praemia laudis essent petenda?* (cf. supra Cat 64,102); singulari saepe usus est. Velleius Paterculus pluralem adhibet, sed sens. plur. II 40,5 *ne aut ... aut bene meritis praemia ... persolverentur*. Seneca rhetor pps: contr. X 2,14 *cum dixisset se praemia in patrem contulisse*; de eadem re in hac controversia (X 2) semper scriptum vides singularem ut et paulo post (15) *visus sum propter hoc ipsum praemio dignus* et paulo ante (13) *non concupivi accipere praemium* et saepius; de certo autem praemio, non sensu generali de praemiis hoc loco agi mihi quidem persuasum est. Apud Valerium Maximum, Senecam philos., Petronium, Tacitum pluralem sens. plur. saepe scriptum vidi, nunquam pps.

robora.[1]) Lucretius pluralem, quem primus adhibet (teste Slottio p. 49), semper sens. plur. ponit. Catullus pps: 64,4 *lecti iuvenes, Argivae robora pubis*. Vergilius pps: Aen. 7,610 *aeternaque ferri | robora*; 8,518 *Arcadas huic equites bis centum, robora pubis | lecta dabo*. Item Ovidius pps met. 15,229 *subruit haec aevi demoliturque prioris | robora* et saepe. Caesar semper singulari utitur numero. Cicero pluralem adhibet eodem sensu quo „lumina, decora“ de compluribus: Cluent. 153 *C. Flavius Pusio, Cn. Titinius, C. Maecenas, illa robora populi Romani*; sed etiam pps: ep. ad Att. VI 5,3 *auxilia sane bona, sed ea Galatarum Pisidarum, Lyciorum — haec enim sunt nostra robora*. Livius pps: 7,7,4 *octo cohortes, lecta robora virorum, scribuntur*; 7,12,9 *hi robora militum ... duxerunt* et saepe. Velleius Paterculus singulari utitur II 90,3 *ut per quinquennium diiudicari non potuerit, Hispanis Romanisne in armis plus esset roboris*. Apud Valerium Maximum pluralis sens. plur. extat IV 4,11 *Publicolas, Aemilios, Fabricios ... hisque paria robora* (= lumina) *virtutis aluit*; ceteris locis

[1]) Neue I 658. Slotty 33—34. 40. 49.

singularem exhibet: VI 4,4 *utrisque aeque admirabile inest robur*; VII 2 ext. 1 (p. 326,5) *non tam robore corporum, quam animorum vigore* et saepe. Apud Senecam rhetorem pps non inveni. Seneca philos. solum singularem habet ep. 76,20; 92,10 etc. Petronius in oratione soluta hac voce non utitur. [In carminibus pluralis semel occurrit (89 v. 6) sed denotat „Eichenstämme"; singularis non obvius est.] Tacitus pps: III 1,8 *Britannici exercitus robora*; III 54,9 *robora victoris exercitus*; IV 33,22 *e Germanis ipsa robora* (caesa sunt) et saepe. Contra eodem sensu singularem adhibet: 6,37,2 *robur legionum sociorumque*; I 87,8 *viris et robur exercitus*; III 13,15 *abesse unicum Othoniani exercitus robur* et saepe.

silentia.[1]) Primus Lucretius pps admisit: IV 583 *taciturna silentia* et saepius. Vergilius semper pluralem adhibet: Aen. 2,255 *tacitae per amica silentia lunae*; 2,755 *ipsa silentia terrent* et saepe. Item Ovidius saepe pps, velut met. I 232 *nactusque silentia ruris*. Caesar et Cicero pps non admiserunt. Velleius Paterculus, Valerius Maximus, Seneca rhetor, Seneca philos., Petronius solum singularem adhibent. [Sed pps Petron. frg. 38 v. 1 „lecto compositus vix prima silentia noctis | carpebam."] Tacitus pps exhibet 2,82,11 *passim silentia et gemitus*; singularis persaepe extat: I 18,14 *per ceteros maestitia ac silentium*; III 54,5 *mirum apud ipsum de bello silentium* etc.

solacia.[2]) Primus Lucretius pps admisit V 21. Vergilius solum pluralem exhibet: Aen. 6,377 *sed cape dicta memor, duri solacia casus* et saepe. Apud Ovidium saepe pps occurrit. Caesar semper singulari utitur. Cicero pluralem adhibet et sens. plurat. (rep. III 40 *multis solaciis*) et concinnitatis gratia (Verr. IV 134 *haec oblectamenta et solacia virtutis*; Sull. 88 *quae habet ornamenta, quae solacia*

1) Neue I 632. Bednara 549. Norden 400. Spitta 17—18. Seyss 7. Hailer 25. Appel 21. Landgraf 73. Keller 199. 210–211. 367.

2) Bednara 549. Landgraf 71. Hailer 25. Seyss 12. Keller 367. Appel 21.

reliquae vitae etc.); sed etiam pps: Font. 48 *cum . . . eadem se solacia suis relinquere arbitraretur, quae suus pater sibi reliquisset.* Contra saepe singulari usus est: Arch. 16 *haec studia . . . adversis perfugium ac solacium praebent* et saepe. Velleius Paterculus singularem adhibet II 19,4 *cum . . . alter alteri possent esse solacio*; pluralem scriptum non vidi. Valerius Maximus pluralem fort. concentus causa posuit: IV 4,11 *haec igitur exempla respicere, his adquiescere solaciis debemus*; V 3,2a *solaciis magis adlevandus quam cladibus onerandus erat*; singularis saepe extat: V 3,2c *talia passo . . . solacio esse potuerunt*; VI 6 ext. 2 *Mithridati maximum solacium . . . fuit* etc. Apud Senecam rhetorem pluralis obvius est sens. plur.: contr. II 1,20 *divitem . . ., qui tot haberet solacia*; singularis saepe invenitur: contr. I 2,3 *non est apud nos maximus honor ultimorum malorum solacium*; VII 6,1 *haberemus solacium, si has nuptias tyrannus fecisset* etc. Seneca philosophus plurali utitur sens. plur.: ben. III 12,1 *hic auxilia tribuit, ille ornamenta, ille solacia* (certe et concinnitatis causa); IV 18,3 (societas homini) *solacia contra dolores dedit*; fort. pps: ep. 99,2 *solacia expectas?*; singularis obvius est ep. 99,1 *obiurgatione quam . . . solacio dignior.* Petronius pluralem adhibet, sed fort. sens. plur. 108,4 *comes et unus alterque . . . vector, solacia magis litis quam virium auxilia*; singularis extat 91,2 *satis magnum erit misero solacium* etc. Tacitus pluralem posuit sens. plur. III 51,13 *quotiens res locusque exempla recti aut solacia mali poscet*; sed certe pps: 3,6,7 *convenisse recenti dolori luctum et ex maerore solacia*; 4,8,12 *se tamen fortiora solacia e complexu rei publicae petivisse*; II 47,10 *mihi non ultione neque solaciis opus est* et saepe. Contra singularem posuit: 11,12,10 *praesentibus frui pro solacio habebat*; 13,35,17 *ipse . . . solacium invalidis . . . ostendere* et saepe.

Appendix.

Hac in appendice exponam, quibus rationibus permotus nonnullos plurales non poetica cum licentia a scriptoribus nostris adhibitos esse mihi persuaserim.

tristitiae. Tacitus semper singularem adhibet, etiam 11,38,6 *ne secutis quidem diebus odii gaudii, irae tristitiae, ullius denique humani affectus signa dedit,* quo loco illud *tristitiae* sine dubio non nominativus pluralis est, ut Draeger Synt.[3] § 2,3 falso contendit, sed genetivus singularis, qui pendet ex voce *signa.*

pontes pro uno ponte ullo loco Tacitum admisisse affirmari non potest; nam eis, quos Nipp. protulit, locis (2,8,9. 2,11,2. 13,7,5) de uno tantum ponte agi e locis ipsis non apparet.[1]) Itaque hunc pluralem in disputatione nostra omisimus.

exercitus.[2]) Hunc pluralem, quem apud poetas nullo loco scriptum vidi — nec mirum, solus enim dativus pluralis ĕxercĭtĭbūs aptus est metro dactylico —, iam Caesar duobus locis admisit pro exercitu, qui continetur compluribus legionibus vel partibus diversis locis agentibus, b. c. III 25,2 et III 81,2. Quem pluralem non poetice dictum esse nemo negabit. Neque aliter res se habet apud Velleium Paterculum II 48,1 (Pompeius) *iis, qui a Caesare dimittendos exercitus contendebant, adsentabatur;* et apud Tacitum multis locis: III 2,16 *Moesici exercitus;* 1,52,9 *apud Pannonicos exercitus;* 3,12,12; 4,47,1; 14,58,4; 15,29,14.

---

[1]) Idem et lex. Tac. ad 2,8,9 adnotavit.

[2]) Spitta 34. Draeg. ad ann. 1,52,9. Nipp. ad 1,52,9.

Liceat mihi pauca addere de plurali **classes,** qui eodem modo ac pluralis *exercitus* adhiberi potuit de compluribus unius classis partibus, velut a Caes. b. c. I 85,6. Tum a poetis, iam a Vergilio Aen. 6,343 et ab Ovidio met. 15,696, singularis huius vocis poetice positus est de una nave, qua de causa mirum non est, poetas de una classe pluralem usurpavisse (= naves). Sed hic pluralis certe non pps est eius modi, quem nos hac in disputatione tractamus. Eodem autem modo plurali usum esse puto Valerium Maximum IX 2 ext. 1 *taetro facinore pollutis classibus ipsum mare violaturi.*

Idem autem quod de voce *exercitus* valere puto de plurali **leges** pro *capita legis.* Vergilius et Ovidius pluralem saepius quam singularem usurpaverunt; sed nullo loco de certa aliqua lege, sed semper in universum de legibus, condicionibus, foederibus agitur, quo sensu pluralem et Caesar et Cicero adhibent. Tacitus autem dixit 3,24,9 *suasque ipse leges egrediebatur* (scil. legem Iuliam de adulteriis coercendis); 3,25,2 *post Iulias rogationes*[1]) (= legem Iuliam de maritandis ordinibus); 3,33,17 (mulieres) *Oppiis ... aliisque legibus constrictae* (= lege Oppia); 3,34,15 *Oppias leges;* 12,60,11 *cum ... rursum Serviliae*[2]) *leges senatui iudicia redderent;* 15,20,11 *candidatorum ambitus Iulias leges ... pepererunt* (= legem Iuliam de ambitu). In universum de legibus egit eamque ob causam summo iure plurali usus est Tacitus 2,51,6 *laetabatur Tiberius, cum inter filios eius et leges senatus disceptaret;* de certa lege singularem et paulo ante scriptum vides *quod lex iubebat* (scil. lex Papia Poppaea) et paulo post *victa est sine dubio lex.*

Pauca dicam de his pluralibus, qui sunt *ligna, frigora, aestus.* Neque enim cum Bednara facio, qui poeticos hos plurales esse vult.

---

[1]) Liceat mihi vocem „rogationes", de qua idem valet ac de voce „leges" hoc loco afferre.

[2]) Falso Nipp. de duabus legibus Serviliis hoc loco agi putabat; cf. Draeg. ad h. l.

ligna. Pluralis iam apud Catonem obvius est. Caesar solum pluralem adhibet: b. c. I 84,1 *aquae, lignorum, frumenti inopia*; III 15,3 *ligna atque aquam Corcyra navibus onerariis supportare*; II 2,3; II 2,4 Cicero in orationibus et philosophicis scriptis semel singulari utitur: leg. II 45 *ligneum ... quod quisque voluerit, uno e ligno dicato*. Contra pluralem adhibet Verr. I 45; I 69; Mil. 33. Itaque hunc pluralem poetice positum esse nego.

Item res se habet de pluralibus illis *frigora* et *aestus*. Pluralem **frigora** Caesar ter adhibet: b. G. I 16,2 *propter frigora ... frumenta in agris matura non erant*; V 12,7 *loca sunt temperatiora quam in Gallia remissioribus frigoribus*; VI 22,3 *ne accuratius ad frigora atque aestus vitandos aedificent*; singularis bis extat: b. G. VII 24,1 *milites cum toto tempore frigore et assiduis imbribus tardarentur*; b. c. III 18,1 *Bibulus ... graviore morbo ex frigore ac labore implicitus*.

Pluralem **aestus** adhibet: b. G. VI 22,3 *ad frigora atque aestus vitandos*; b. c. III 49,4 *qui ... fontes ... celeriter aestibus exarescebant*; singulari usus est b. c. III 95,2 *etsi magno aestu fatigati*. Vtrum pluralis intellegendus sit an singularis, diiudicari non potest hoc loco: b. G. VI 30,3 *vitandi aestus causa*.

Itaque et hos plurales non poetica cum licentia usurpatos esse putem.

Tum nobis agendum est de plurali **effugia,** quem Landgraf p. 70 a Tacito poetice usurpatum esse sibi persuasit. Scriptum vides hunc pluralem apud Tacitum 12,56,6 *cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent* (certe sens. plur.) et 15,63,13 (Seneca et Paulina uxor) *eodem ictu brachia ferro exsolvunt. Seneca, quoniam senile corpus ... lenta effugia sanguini praebebat*, ... ubi Landgraf pluralem poeticum statuit. Sed et hoc loco pluralis sens. plurat. positus est; nam quia Seneca utriusque brachii venas abrupit, certe de duobus sanguinis effugiis agitur.

Postremo licitum mihi sit nonnullos plurales in medium proferre, qui, quamquam primo obtutu poetice dicti esse videntur, tamen hac vel illa de causa suam vim retinent. Ea autem sola exempla contuli, in quibus quis haereat.

foedera. Petronius 109,4 *in haec verba foederibus compositis*; de eadem re saepe scriptum vides singularem velut paulo ante 109,1 *tabulas foederis signat*, et paulo post 113,4 *foederis verba*, 113,6 *impatiens foederis novi*. Agitur autem his locis de foedere, quod Tryphaena cum Gitone et Lichas cum Encolpio ineunt; itaque re vera duo intellegenda sunt foedera.

sudores. Petronius semel hunc pluralem adhibet: 87,8 *inter anhelitus sudoresque tritus, quod voluerat, accepit*. Certe antecedenti plurali adductus plurali *sudores* usus est Petronius, qui ceteris omnibus locis solum singularem exhibet.

irae. Tacitus IV 72,10 *Cerialis ... pressit iras* (audi *militum*, non *suas*); 4,21,6 *in animo revolvente iras* (suas, sed agitur de actione iterata).

pavores. Tacitus: II 76,1 *his pavoribus nutantem ... amici ... firmabant* certe sens. plur.; item IV 38,3 (civitas) *super instantia mala falsos pavores induerat*.

saecula. Tacitus scripsit D. 41,21 *si aut vos prioribus saeculis aut illi, quos miramur, his nati essent*. Sine dubio concinnitatis causa Tacitus pluralem *his* posuit, quoniam in Dialogo scribendo vestigia Ciceronis, qui valde amabat concinnitatem verborum, secutum eum esse constat.

taedia. Tacitus certe sens. plur. dixit: II 32,15 *multa bella impetu valida per taedia et moras evanuisse*; 4,41,13 *extollens laudibus quietem et solitudinem, quis abesse taedia et offensiones* (supplendum est *hominum*).

B.

De adiectivis neutrius pluralis cum genetivo substantivi coniunctis.

Hac altera disputationis parte omnes eos locos conferre mihi proposui, quibus cum prosa oratio a poesi nondum infecta aut substantivum cum adiectivo coniunctum eodemque in casu positum exhibuisset, aut pluribus verbis sensum explicavisset, apud hunc vel illum eorum, qui mihi tractandi sunt, scriptorum adiectivum neutrius pluralis poetarum more genetivo substantivi addito extat. Quae exempla non colligere satis habui — id quod in Tacito faciunt Theodorus Pannhoff p. 21 sqq., Czyczkiewicz p. 10 sqq., Draeger (Synt. § 66b) —, sed et hic inquirere studui in eum poetam, quem scriptores illi imitati sint. Sed quoniam Tacitus multo saepius quam ceteri scriptores et poetae hac verborum conformatione usus est eamque ob rem saepe primus aut solus hoc vel illud adiectivum neutrius pluralis cum genetivo substantivi coniunxit, non omnibus, ne longus sim, locis illud „Vergilius, Ovidius etc. hanc constructionem non adhibent" proferam, sed eos solos poetas et scriptores in singulis adiectivis pertractandis nominabo, qui eo modo adiectivum cum substantivo coniunxerunt, ceteros autem silentio praeteribo. Ubi igitur Taciti solius exempla proferam, neque apud Catullum, Vergilium, Tibullum, Propertium, Horatium, Ovidium neque apud Caesarem, Ciceronem, Livium, Velleium Paterculum, Valerium Maximum, ceteros hanc verborum conformationem inveni.[1])

[1]) Praeterea omnibus eis locis, quibus ne Livius quidem hac constructione usus est, hos indices percensui:
Silii Italici, confect. ab Ernesto (ed. vol. II., Lips. 1792)
Statii, confect. a. N. E. Lemaire (ed.: Amar et Lemaire, Paris. 1825, vol. IV).

Optimum autem esse mihi videbatur ordine litterarum exempla proferre, quia si eodem modo ac Czyczkiewicz primum ea exempla pertractarem, quibus notio partitiva non inest, tum ea, quae hanc notionem partitivam habent, denique eos locos, quibus adiectivum neutr. plur. vim substantivi abstracti obtinet, verebar, ne compluribus disputationis locis de eadem voce mihi dicendum esset.

Nonnulla autem exempla, quae Czyczkiewicz profert, omitti posse puto, velut *arcana, sollemnia, insignia*, quia haec adiectiva iam in Caesaris scriptis substantivorum loco usitata erant.

Errat autem Czyczkiewicz, qui Tacitum scripsisse putat et IV 3,19 *egregia rei publicae*, quo loco scriptum vides *loquebatur civilia de se, de re publica egregia*, et 4,33,15 *obvia rerum*, ubi illud *rerum* non ex voce *obvia*, sed ex vocabulis sequentibus *similitudine et satietate* pendet. Item et IV 77,7 (*medius Mosellae pons, qui ulteriora coloniae adnectit*) vocem *coloniae* non genetivum ex illo *ulteriora* pendentem puto esse, ut voluit Panhoff p. 22, sed dativum qui pendet ex vocabulo *adnectit*. — Sed rem ipsam sequamur!

abdita. Lucretius 6,808 *terrai penitus scrutantes abdita ferro.* Horatius a. p. 49 *indiciis monstrare recentibus abdita rerum.* Valerius Maximus I 6,12 *sonum tympanorum Pergami abditis delubri editum* (cf. quae infra s. v. „occulta" dixi de Caes. b. c. III 105,4).

adversa. Pro substantivo neutrum pluralis cum genetivo coniunctum apud poetas non extat. In prosa oratione primus Sallustius scripsit frg. III 81,5 *certaminis advorsa.* Livius 9,3,1 *per adversa montium.* Tacitus A. 25,10 *cum . . . tempestatum ac fluctuum adversa . . . compararentur*; I 89,8 *pacis adversa*; 2,26,2 *adversa maris*; 2,69,15 *ut valetudinis adversa rimantes*; 6,36,6 *desererent regem saevum in pace et adversis procliorum exitiosum.*

alia. Tacitus 1,9,7 *aliaque honorum multiplicata aut nova* (= alii honores); 3,52,4 *alia sumptuum . . . occultabantur* (= alii sumptus).

altiora. Vergilius solum gradum positivum huius vocis cum genetivo coniunxit: Aen. 9,81 *pelagi petere alta*. Sed iam Vitruvius scripsit IX praef. 16 *mentes aeris altiora prospicientes*. Curtius Rufus 8,11,6 *altiora* (metae) *in artius coeunt*. Seneca philos. nat. quaest. VII 17,2 *altiora mundi*; et positivum cum genetivo coniunxit dial. VII 17,4 *in alto vitiorum omnium sum* (= auf dem Gipfel). Plinius maior solum positivum substantivi vice adhibet: nat. hist. 30,114 *in alto ulcerum*; 20,238 *ex alto corporis vitia extrahenda sunt*. Tacitus II 22,3 *altiora murorum* (gen. part.) *sagittis aut saxis incessere*.

amoena. Poetarum primus Val. Flacc. I 845 hanc constructionem adhibet: *silvas et amoena piorum*, qui locus fluxisse videtur ex Verg. Aen. 7,534 *amoena piorum / concilia Elysiumque colo*.[1]) Tacitus scripsit III 76,7 *amoena litorum personantes*; 3,7,4 *vagus ... per amoena Asiae atque Achaiae*, quibus locis partitiva notio apparet.

ambigua. Seneca philos. ep. 90,29 *quemadmodum discernerentur vitae aut vocis ambigua*. Tacitus 4,50,17 *ad ambigua sonitus*; 11,15,9 *inter ambigua culti*. Substantivi abstr. vim his locis adiectivum obtinet.

angusta. Vergilius scripsit Aen. 2,332 *angusta viarum*. Seneca philos.: ben. VI 31,6 *cum computaveris, quanti Thermopylarum angŭstă constĭtĕrĭnt* (contra ep. 82,20 *Laconas ... in ipsis Thermopylarum angŭstĭis pŏsĭtŏs*); ep. 78,9 (dentium, oculorum, aurium dolor) *inter angusta corporis nascitur* (contra ep. 114,25 *maeretque, quod magna pars suae felicitatis exclusa corporis angustĭis cessăt* fort. propter clausulam). Tacitus: III 82,14 *per angusta et lubrica viarum flexerant*; IV 35,9 *praemissis, qui pontes et viarum angusta insiderent* (= angustas vias).

aperta. Taciti demum temporibus hoc neutrum cum gen. coniunctum legitur: Silius VIII 556 *campi per aperta*. Statius Theb. VI 567 *inter aperta Lycaei*. Tacitus 2,23,11 *in aperta Oceani*.

[1]) Hoc modo secundam partem versus quasi supervacuam abscidere poetis Romanis in deliciis erat, qua de re cf. Sen. rhet. contr. VII 1,27.

ardua. Iam Lucretius I 659 *ardua ... viai*. Vergilius Ge. 3,291 *sed me Parnasi deserta per ardua dulcis / raptat amor*; Aen. 5,695 *ardua terrarum et campi*; 8,221 *petit ardua montis*; 11,513 *ardua montis / per deserta iugo superans*. Ovidius met. 8,692 *et in ardua montis / ite simul*. Tacitus IV 70,7 *ardua Alpium praesidiis claudere*; 11,9,3 *ad excindenda căstĕllŏr(um) ārdŭă* (= castella ardua) fort. propter clausulam.

aspera. Vergilius Aen. 11,319 *horum* (collium) *asperrima pascunt*. Livius 33,11,6 *cum Philippo iam gratiae privatae locum quaerere, ut dura atque aspera belli Aetoli exhauserint*. Curtius 7,11,18 *in inviis et asperis saxorum*. Tacitus 4,6,17 *asperis maris* (= rebus asperis „Unglücksfällen") *obviam iit*. Neutrum sing. quoque cum genetivo coniungit 3,5,3 *asperrimo hiemis*.

aversa. Livius 5,29,4 *per aversa urbis*; 37,27,2 *circumvecti ab urbe ad aversa insulae*. Velleius Paterculus II 63,1 *Antonius ... per aversa castrorum ... a militibus receptus est*. Plinius n. h. 4,41 *aversa eius* (Haemi); 6,36 *aversa Asiae* etc. Statius Theb. IV 250 *gelidique aversa Lycaei*.

avia. Ovidius met. 1,479 *nemorum avia*. Lucanus 1,569 *magnaeque per avia voces / auditae nemorum*. Iam antea in prosa oratione scripsit Velleius Paterculus II 75,3 *per avia itinerum*. Tacitus: II 85,15 *per avia Moesiae* (gen. part.); IV 70,3 *avia Belgarum circumibat* (gen. part.); 13,37,12 *avia Armeniae incursavit* (gen. part.); 2,15,7 *avia Oceani quaesita* (= avium Oceanum quaesitum); 2,68,4 *avia saltuum petiit* (= avios saltus).

brevia. Hoc adiectivum substantivi loco adhibetur inde a Vergilio, etsi cum genetivo substantivi hanc vocem non coniunxit: Aen. 1,111 *in brevia et syrtis*; 10,288 *brevibus se credere saltu*. (Suetonius frg. p. 243 R. dicit: *vada ... Vergilius ‚brevia' appellat, quae eadem Graeci* βραχέα. Servius ad Verg. Aen. 1,111 adnotavit: *id est in brevia syrtium*.) Pomponius Mela 1,35 *ob vadorum frequentium brevia*. Tacitus 6,33,15 *brevia litorum nudantur*.

certa.[1]) Substantivi abstracti loco hac voce usus est Tacitus IV 81,2 *certa maris opperiebatur.* Neutrum sing. cum gen. coniunxit V 6,17 *certo anni* i. e. ‚certo anni tempore‘.

cetera. Livius 27,20,3 *consilio in cetera exsequenda belli haud parum opportuni* (Hasdrubal et Mago). Tacitus 13,6,8 *proelia quoque et oppugnationes urbium et cetera belli*; 4,5,8 *cetera Africae . . . coercita*; 4,6,11 *frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum* et saepe. Quibus locis notionem partitivam inesse apparet.

culta. Valerius Maximus I 7 ext. 4 *cum . . . aper Olympi montis culta . . . vastaret* (gen. part.). Tacitus 1,17,11 *ubi per nomen agrorum uligines paludum vel inculta montium accipiant* (= incultos montes).

cuncta. Falso[2]) per analogiam illius *ceteri, alii, primi* etc. cum gen. partitivo coniuncta est haec vox et a poetis et a Tacito; nam in natura vocis *cuncti* positum est, ut cum gen. part. coniungi non possit. — Horatius Od. II 1,23 *cuncta terrarum subacta.* Ovidius met. 4,631 *hominum cunctos.* Tacitus Ovidium secutus scripsit 11,22,8 *cunctisque civium . . . licitum*, Horatii vestigia premens: V 10,6 *cuncta camporum omnesque . . . urbes* (= cunctos campos); 3,35,2 *castigatis oblique patribus, quod cuncta curarum ad principem reicerent*; 14,60,1 *cuncta scelerum suorum pro egregiis accipi videt.*

deserta. Vergilius: Ge. 3,462 *in Rhodopen atque in deserta Getarum*; Aen. 1,384 *Libyae deserta peragro.* Seneca phil. ep. 31,9 *per deserta Candaviae*; 94,66 *per Africae deserta*; 87,7 *in desertis Apuliae.*

dextra. Velleius Paterculus II 40,1 *quae* (nationes) *dextra atque intima Ponti incolunt* (= dextram . . . partem). Tacitus III 27,6 *dexteriora valli octava ac septima Claudiana* (sumpsere).

[1]) cf. et vocem „incerta“ p. 76.
[2]) Nipp. ad Tac. 11,22,8. Brenous 100.

dubia. Tacitus II 33,12 *dubiis proeliorum exemptus*, ubi neutr. plur. substantivi abstracti loco positum est (= Wechselfälle; non = ‚dubiis proeliis exemptus‘).

edita. Ovidius met. 11,647 *qui* (Morpheus) *peragat Thaumantidos edita* (= iussa). Curtius 6,6,25 *qui edita montium occupaverant.* Tacitus 4,46,3 (Thraces) *montium editis . . . agitabant* (= montibus editis); 12,56,12 *ripas et colles montiumque edita* (= montes editos) . . . *multitudo complevit.*

extrema. Vergilius: Aen. 8,333 *me pulsum patria pelagique extrema sequentem.* Cicero: Tim. 18 *neque erant anima circumfusa extrema mundi*; ep. ad fam. X 19,2 *incumbe, ut belli extrema perficias.* Livius: 4,1,4 *laeti . . . audiere patres . . . Veientes depopulatos extrema agri Romani*; 6,31,7 *in extrema finium*; 6,32,11 *extrema agminis capere* et saepe. Seneca phil.: ep. 71,37 *non Persas nec extrema Medorum . . . vicit*; 58,32 *fastidire senectūtĭs ēxtrēmŭ.* Tacitus: A. 12,13 *extrema et plana terrarum*; IV 12,7 *extrema Gallicae orae*; IV 28,4 *ut Menapios et Morinos et extrema Galliarum quateret*; 2,54,2 *extrema Asiae . . . intrat.* — V 11,15 *extrema rupis abrupta*; V 12,12 *extrema et latissima moenium Simo . . . firmaverat*; 4,67,5 *in insulam . . . trium milium freto ab extremis Surrentini promunturii diiunctam*; 4,74,3 *neque senatus in eo cura, an imperii extrema dehonestarentur.* Plurativa notio omnibus locis apparet. Neutr. sing. cum gen. substantivi coniungit III 47,8 *in extremo Ponticae orae*; 12,63,2 *in extremo Europae.*

falsa. Tacitus 6,45,20 *simulationum . . . falsa in sinu avi perdidicerat*; hoc loco adiectivum vim substantivi abstracti habere puto (= das Falsche der Verstellung).

fortuita. Tacitus IV 23,24 *fortuita belli sperabantur* (= Glücksfälle), ubi substantivi loco adiectivum positum est.

idonea. Tacitus 4,5,19 *apud idonea provinciarum* (gen. part.).

ima. Vox notione partitiva cum gen. coniuncta. Vergilius: Ge. 3,460 *inter / ima . . . pedis*; 4,322 *quae gurgitis huius / ima tenes*. Ovidius: met. 5,421 *in gurgitis ima*; 8,335 *tenet ima lacunae / lenta salix*; 14,793 *vapor penetravit ad ima / fontis*. Livius: 33,17,8 *ima urbis plana sunt*. Tacitus: 12,24,6 *certis spatiis interiecti lapides per ima montis Palatini*; 12,57,2 (operis) *haud satis depressi ad lăcus imă vĕl mediă*; (fort. propter clausulam; certe autem hanc verborum constructionem Tac. adhibuit, ut vitaret ‚ad lac**um** im**um** vel medi**um**'); 13,40,12 *per ima collium*.

inania. Silius: IV 8 *per inania rerum*. Statius: Theb. X 533 *caeli per inania*. Tacitus: A. 6,16 *ludos et inania honoris medio rationis atque abundantiae duxit*; II 69,8 *inter inania belli adsumptus*; 2,76,5 *neque suspiciones imbecillas aut inania famae pertimescenda*. Quibus locis adiectivum substantivi abstracti vim habet.

inaccessa. Tacitus IV 50,25 *vagi per inaccessa mapalium* (= per inaccessa mapalia).

inbecilissima. Seneca phil. ep. 59,12 *dum circumit muros et inbecilissima moenium quaerit* (gen. part.).

incerta. Livius: 30,15,4 *ad incerta fortunae*; 30,30,11 *non temere incerta casuum reputat*. Tacitus: I 26,5 *ni incerta noctis . . . timuissent*; II 77,11 *mihi bellum et proeliorum incerta trade*; 3,54.19 *vita populi Romani per incerta maris et tempestatum cotidie volvitur*; 4.23,15 *iussa principis magis quam incerta belli metuens*; 11,20,7 *fossam perduxit, qua incerta Oceani vitarentur*. Omnibus locis adiectivum vim subst. abstr. habet.

inculta. cf. v. „culta" p. 74.

infesta. Seneca phil. ep. 8,5 *domus munimentum sit adversus infesta corporis*.

intemptata. Seneca phil. ep. 66,52 *tantoque maius putem* (hoc bonum) *quam illa secura et intemptată fortunae, quanto . . .* fort. propter clausulam.

intima. Velleius Paterculus: II 40,1 *flexum agmen ad eas nationes, quae dextra atque intima Ponti incolunt*. Tacitus 3,73,2 *reparatis per intima Africae auxiliis*; quo loco adiectivo notio partitiva est.

intuta. [Petronius in hex. scripsit 123 v. 236 „alter **tuta** sinus tranquillaque litora quaerit".] Tacitus: III 76,7 *non intuta moenium firmare* (= ‚intuta moenia' mea sententia; Czyczkiewicz adiectivum hoc loco vim subst. abstr. obtinere putat. Idem falso p. 11 *intuta montium* scripsit, ad quam lectionem interpretatio illa quadraret).

laeva. Ovidius: Fast. V 257 *iamque gravis Thracen et laeva Propontidos intrat*; Trist. IV 10,97 *maris Euxini positos ad laeva Tomitas*. Sallustius: frg. 2,24 *inter laeva moenium et dextrum flumen Turiam*. Livius: 32,29,6 *in laeva Italiae ad inferum mare flexit iter*. Tacitus: II 2,6 *oram Achaiae et Asiae ac laeva maris praevectus*, ubi notio partitiva apparet.

latissima. Tacitus V 12,13 *extrema et latissima moenium Simo firmaverat*; cf. v. „extrema" p. 75.

longinqua. Tacitus III 34,27 *principibus adeunda saepius longinqua imperii* (= longinquas imperii regiones).

lubrica.[1]) Silius X 461 *per lubrica pinguis / . . . soli*. Tacitus: III 82,15 *per angusta et lubrica viarum* (pro ‚per angust**as** et lubric**as** vi**as**'). Neutrum sing. cum gen. coniungit: I 79,8 *lubrico itinerum* (= lubricis itineribus) *adempta equorum pernicitate*; II 88,16 *lubrico viae* (= lubrica via); 1,65,17 *sanguine suo et lubrico paludum lapsantes* (= lubricis paludibus); 6,49,9 *donec minor filius lubricum iuventae exiret* (= lubricam inventutem); 14,56,5 *si qua in parte lubricum adulescentiae nostrae declinat* (= lubrica adulescentia nostra).

---

[1]) Valerius Maximus III 2,10 „nantes lubricis pelagi"; quae verba nono post Chr. n. saeculo a Lupo Ferrariensi interpolata esse Schnetz p. 20 comprobavit.

media. Vergilius solum adiectivum neutrius singularis cum gen. coniungit: Aen. 3,354 *aulai medio libabant pocula Bacchi*; 9,230 *castrorum et campi medio* et saepe. Item Ovidius: Fast. III 219 *medium campi* etc. Velleius Paterculus II 107,1 *ad medium processit fluminis*. Tacitus autem: A. 35,10 *media campi* (= medium campum inter Britannorum et Romanorum aciem situm) *covinnarius eques ... complebat*; 12,57,2 *ăd lăcūs* (gen. part.) *īmă vel mĕdiă*. Neutrum sing. quoque cum gen. coniunctum legitur: 1,61,9 *medio campi*; 15,18,1 *medio Capitolini montis* et saepe.

multa. Ovidius solum singularem cum gen. coniungit: met. 2,187 *multum caeli*; 14,529 *multumque ab utraque cruoris / parte datur*. Item Livius: 37,7,12 *in multum vini processerat* et Curtius: III 11,5 *multum sanguinis fusum est* etc. Tacitus: 3,34,4 *multa duritiae veterum in melius et laetius mutata*; 3,55,19 *nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit*; quibus locis partitiva notio adiectivo inest. Czyczkiewicz mea sententia falso adiectivum his locis vim subst. abstr. (= Vielheit) habere intellegit.

novissima. Tacitus: V 2,3 *Iudaeos ... novissima Libyae insedisse memorant* (= novissimas Libyae regiones).

obstantia. Tacitus: 1,50,10 *obstantia silvarum amoliri iubetur* (= obstantes silvas).

occulta. Iam Caesar scripsit b. c. III 105,4 *in occultis ac reconditis templi, ... quae Graeci ἄδυτα appellant*, vocabulo Graeco ad hanc verborum constructionem permotus.[1]) Tacitus: 1,61,4 *praemisso Caecina, ut occulta saltuum scrutaretur* (= occultos saltus). — Vim subst. abstr. autem hoc neutrum habet hisce locis: I 10,15 *occulta fati ... credimus* (= das Dunkele); 15,74,3 *propiusque honos Soli, ... qui occulta coniurationis numine retexisset*.

operta. Vergilius: Aen. 6,140 *sed non ante datur telluris operta subire*. Tacitus III 65,8 *offensarum operta metuebantur* (= offensae opertae).

[1]) Doberenz-Dinter (ed.[5] 1884) ad h. l. Brenous 97.

opportuna. Livius 30,12,10 *praesidio circa portas opportunaque moenium dimisso*. Tacitus 4,24,8 *solvit obsidium locorumque opportuna permunivit*.

pauca. Tacitus: G. 43,7 *omnesque hi populi paucă cāmpēstrĭŭm, ceterum saltus et vertices montium iugumque insederunt*.

plana. Livius: 38,28,4 *Tiberis duodeciens campum Martium planaque urbis inundavit*. Tacitus: A. 12,13 *extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras*; III 42,3 *occupantur plana Umbriae*; 1,76,1 *Tiberis plana urbis stagnaverat*. Omnibus locis substantivi loco positum est adiectivum.

praecipua. Apud eos, qui ante Tacitum floruerunt, solum masculinum cum gen. coniunctum vidi, velut apud Statium: Theb. IX 426 *praecipuosque alui natorum* etc. Tacitus: 4,40,5 *praecipua rerum* (= praecipuae res) *ad famam dirigenda*; 4,41,13 *praecipua rerum ... agitari*.

prava. Seneca phil. ep. 98,3 *rectus atque integer corrigit prāvă fŏrtūnāe ...*

pretiosa. Seneca phil. ep. 93,4 *ut quemadmodum pretiosa rerum sic vita nostra non multum pateat, sed multum pendeat*.

prima. Iam Lucretius scripsit: I 8,6 *ductores Danaum delecti, prima viorum*. Cicero vocem Graecam ἀρχή (= Urstoff) in Latinum vertit *prima naturae*: fin. III 61; V 21 etc. Tacitus: II 11,15 *prima consiliorum frustra ceciderant*; III 46,6 *prima rerum quieti speculabantur*; 2,16,6 *campum et prima silvarum barbara acies tenuit*. Omnibus locis adiectivum notionem partitivam habet.

profunda. Ovidius (?) solum neutrum sing. cum gen. coniungit: Hal. 84 *vastique maris temptare profundum*. Item Valerius Maximus: II 10,6 *C. ... Marius in profundum ultimarum miseriarum abiectus*. Tacitus: A. 25,9 *silvarum ac montium profunda* (scil. comparabantur). Substantivi abstr. loco adiectivum positum est (= Tiefe).

prominentia. Livius 28,20,3 *inaequaliter eminentia rupis.* Quem fortasse secutus Tacitus scripsit: 2,16,3 *prominentia montium* (= prominentes montes) *resistunt.* Neutrum sing. cum gen. coniungit: 1,53,17 *in prominenti litoris* (= prominenti litoris loco).

proxima. Livius: 26,25,3 *vastatis proximis Illyrici*; 35,51,1 *in proxima Euboeae ... traiectus.* Tacitus[1]: 15,58,3 *per ... rura ... et proxima municipiorum* (= per proxima municipia). Notio partitiva autem adiectivo inest hisce in exemplis: III 42,2 *missis per proxima litorum Liburnicis*; 3 1,10 *complentur ... portus et proxima maris.* Neutrum sing. cum gen. coniunctum extat 4,74,9 *in proximo Campaniae.*

reliqua. Cicero: ep. ad fam. II 13,4 *quoniam ... publicanis etiam superioris lustri reliqua ... conservaram.* Livius: 9,16,1 *reliqua belli perfecta*; 26,1,6 *ut ... reliqua belli perficeret.* Velleius Paterculus: II 123,1 *cum Germanicum ... reliqua belli patraturum misisset in Germaniam.* Tacitus: IV 2,8 *extingui ... reliqua belli postulabat*; IV 51,11 *ad reliqua Iudaei belli perpetranda*; 14,38,2 *ad reliqua belli perpetranda*; 12,56,10 *reliqua lacus classiarii ... obtinebant.* Notio partitiva omnibus locis elucet. Neutrum sing. cum gen. coniunctum vides 14,10,2 *reliquo noctis.*

saeva. Silius: IV 760 *inter saeva locorum.* Tacitus: 4,67,9 *saeva ventorum arcentur* (= saevi venti).

secreta. Ovidius: met. 1,594 *praeside tuta deo nemorum secreta subibis.* Tacitus: G. 41,1 *in secretiora Germaniae porrigitur*; G. 45,23 *fecundiora ... nemora ... Orientis secretis ... inesse crediderim*; III 63,10 *non omisere ... salutem et pecuniam et secreta Campaniae offerre Vitellio*; I 85,10 *vix secreta domuum sine formidine*; II 57,12 *inter secreta convivii.* Substantivi vice positum est adiectivum. Singularem neutr. cum gen. coningit: I 10,5 *in secretum Asiae sepositus*; III 13,3 *secretum castrorum adfectans.*

[1]) V 16,4 legendum est „laeva ac propiora flumini", non „fluminis" (quod scriptum vides apud Panhoff. 22); cf. Her. ad h. l.; itaque fort. et V 2,12 „propiora Syriae" illud „Syriae" non genetivus, sed dativus est.

secura. cf. „intemptata" p. 76.

subiecta. Tacitus: 1,65,2 *cum barbari ... subiecta vallium ac resultantis saltus complerent* (= subiectas valles).

subita. Livius: 6,32,5 *qui* (exercitus) *ad subita belli mitti posset*; 9,43,5 *adeo ut ... ad subita rerum duo iusti scriberentur exercitus*; 25,15,20 *ad subita belli.* Tacitus: A. 37,4 *equitum alas ad subita belli retentas* (= unvorhergesehene Wendungen); V 13,17 *impetus et subita belli locus* (abnuit) = Handstreiche, Überfälle.

summa. Vergilius: Ge. 3,314 (G. 4.539) *pascuntur vero silvas et summa Lycaei*; Aen. 5,180 *summa petit scopuli.* Ovidius: met. 4,343 *et in alludentibus undis | summa pedum taloque tenus vestigia ponit*; 14,490 *securaque summa malorum.* Auctor bell. Afric. 50: *summa collis.* Livius: 8,26,3 *cum summa urbis Romano milite implesset.* Curtius: IV 4,12 *magna pars summa tectorum obtinebat* etc. Seneca phil. ep. 90,32 *necesse est ... ante Democritum et pontes et portas fuisse, quarum fere summa curvantur.* Tacitus: A. 37,1 *summa collium insederant*; III 29,6 (ballista) *pinnas ac summa valli ruina sua traxit*; III 47,17 *summa navium tabulis augent*; V 6,20 *in summa navis trahunt*; 1,68,7 *summa valli prensant*; 2,17,20 *in summa arborum.* — II 75,8 *ad summa militiae* (= höchster Rang) *provectum*; 11,8,5 *summaque imperii* (= Tron) *ambigua.* Notione partitiva omnibus locis genetivum cum adiectivo coniunctum vides.

tacita. Tacitus: 4,41,2 *Seianus ... tacita suspicionum, vulgi rumorem, ingruentem invidiam deprecatur* (= tacitas suspiciones).

tuta. cf. v. „intuta" p. 77.

vana. Horatius: Sat. II 2,25 *corruptus vanis rerum.* Tacitus: 4,59,2 *oblatum Caesari anceps periculum auxit vană rumorĭs* (= vanum rumorem) propter clausulam.

Conclusio.

Iam ad finem pervenimus. Atque si omnia quae exposuimus animo complectimur, dicendum erit inde a Caesare usque ad Tacitum sermonem pedestrem magis magisque vestem poeticam induisse: Caesar solum pps *litora* admisit, quem haud scio an ita defendere possimus b. c. II 26,4 (equitatus) *se per litora celeriter in oppidum recepit*, ut coniciamus Caesarem fortasse singula litoris loca hoc numero significare voluisse. Idem solum neutra *occulta ac recondita* cum gen. subst. coniunxit, qua verborum constructione non usus esset, nisi exprimere voluisset vocem *ἄδυτον*. Aliter autem res se habet apud Ciceronem, Livium, ceteros, qui magis magisque haec in prosa oratione insueta admiserunt nulla re cogente; nam quamvis multum et clausula et ingenii ardor et sublimis oratio ad plurales poeticos gignendos interdum valuerit, tamen multi plurales poetici supersunt, in quibus explicandis his causis uti non possumus. Concedendum autem erit nos recentiores homines in rebus tam subtilibus fortasse sensu proprio interdum destitui.

Maxime autem lucet color poeticus in Taciti scriptis neque vero in omnibus eodem modo: nam in Dialogo perpauca exempla pluralis poetici extant neque ullum constructionis illius adiectivorum neutrorum, creberrima autem in Historiis et Annalibus.

Denique adnotandum est Petronium ne unum quidem neutrum cum gen. subst. in prosa oratione coniunxisse.

Index substantivorum

quae in priore disputationis parte tractavi.

	pag.
aestus	68
amores	43
aquae	4
arces	6 n.
ardores	53
astutiae	54
auditus	45
auxilia	55
bella	56
balsama	14
barbae	24
capilli	23
capita	13 n.
Capitolia	6 n.
carnes	17
cineres	8
classes	67
commercia	56
consilia	57
doli	6 n.
effugia	68
epistulae	31
exercitus	66
exitus	50
fastidia	40
fata	46
fletus	58
foci	10 n.
foedera	69
fortunae	48
freta	6 n.
frigora	68
frondes	15
frontes	13 n.
gaudia	6 n.
gramina	6 n.
gubernacula	30
harenae	7
hederae	14
ignes	9
incendia	11
incepta	59
irae	69
iubae	6 n.
iura	60
lanae	18
lasciviae	40
leges	67
ligna	68
litora	33
maria	32
metus	41
monimenta	28
munera	6 n.
nives	18
numina	51
occasus	38
odia	42
ora	19.
ortus	38
ostia	35
otia	61
papavera	6 n.
pavores	69
pontes	66
praedae	61
praemia	62
regna	39
robora	63
rogationes	67
rosae	6 n.
ruinae	50
saecula	69
sedes	25
semina	16
silentia	64
sinus	22.35
solacia	64
specus	6 n.
sudores	69
tabernacula	27
taedia	69
tecta	28
templa	26
terga	20
terrae	36
thymbrae	6 n.
tristitiae	66
tura	13
umbrae	6 n.
venena	19
vestes	30
vina	6 n.
violae	6 n.
visus	46
vota	52
vultus	6 n.

Vita.

Natus sum Aemilius Hermannus Schmidt a. d. IV. Kal. Nov. anni MDCCCLXXXV Arothiae, in oppido Waldeccensi. Patrem paucis ante diebus praematura morte mihi abreptum esse valde doleo, matrem gaudeo adhuc in vivis esse. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium regium Glacense frequentavi ab anno MDCCCXCVI usque ad annum MDCCCXCIX, inde usque ad annum MCMV gymnasium regium Glogoviense. Maturitatis quod vocant testimonium adeptus Kiliam Holsatorum me contuli ibique per tria semestria in studia philol. et german. incubui. Docuerunt me viri doctissimi

Deussen, Gehring, Jacoby, Kauffmann, Maschke, Mensing, Neumann, Noack, Sudhaus, Wendland.

Per tria semestria sodalis eram proseminarii philol. moderantibus *Jacoby, Sudhaus, Wendland*, et interfui exercitationibus archaeologicis, quas habuit *Noack*.

Autumno anni MCMVI Berolinum me contuli, ubi per semestre audivi viros doctissimos

Kekulé de Stradonitz, Norden, Riehl, Roethe, Er. Schmidt, Schultze, Vahlen, U. de Wilamowitz-Moellendorff.

Sodalis eram et superioris coetus proseminarii philol. et seminarii german., quod habuit *Er. Schmidt*, et interfui exercitationibus seminarii archaeologici, quod moderabatur *Kekulé de Stradonitz*.

Vere anni sequentis Vratislaviam profectus per quattuor semestria scholis interfui virorum doctissimorum

Baumgartner, Foerster, Hoffmann, Koch, Kühnemann, Siebs, Skutsch, Stern, Wendland, de Wenckstern.

Per semestre interfui exercitationibus proseminarii philol., quod habuit *Foerster*; sodalis seminarii eram per duo semestria moderantibus *Foerster* et *Skutsch*. Ad exercitationes proseminarii archaeol. *Foerster*, ad exercitationes seminarii german. *Koch* me admisit.

Quibus omnibus viris gratias quam maximas habeo semperque habebo, in primis autem *Francisco Skutsch*, qui me et incitavit ad haec studia neque in disputatione conficienda unquam benigno consilio atque auxilio destituit.